



DISSERTATIONIS HISTORICO-  
THEOLOGICAE,

DE

MONIMENTO  
PANEADENSI  
PARS PRIMA,

quam

Fortunante DEO

PRAESES

THEODORUS HASAEUS,

S. T. D. & Prof. ecclesiae ad D. Virginis  
Pastor,


& Respondens

DAVID BRÜNINGS, Bremensis,

placido commilitonum examini  
subjicient

*ad d. IX. Kal. Martias, qui erit dies JOVIS A. c. l. lxxxvii.*

H. L. Q. S.



BREMAE,

Typis HERMANNI CHRISTOPHORI JANI, Illustr. Gymna-  
sii Typographi.

No. 26  
9



*Viris, atque Dominis Admodum Reverendis, Amplif-  
simis, Consultissimo, Celeberrimis, Florentissimis,*

DN. ALBERTO SCHUMACHERO, sacrorum Dispensatori in  
parocia Ansgariana Primario meritissimo, fidelissimo, S. S. Th.  
Doctore, ejusdemque facult. Professore, & p. t. Illustr. Gymnasii  
patris Rectori Magnifico, longe clarissimo, Patrono, atque Præ-  
ceptorum meo devote venerando.

DN. DIDERICO MEYERO, U. J. Doctore, & Reipublicæ patriæ  
Senatori longe gravissimo, Mecænati, atque Hospiti quondam  
meo, submisso semper colendo.

DN. JOHANNI LANGEN, Magnariorum hujus Urbis florentif-  
simo, Senatusque patrii membro splendidissimo, prudentissimo,  
Cognato meo ad rogam usque suspiciendo.

DN. JOHANNI NONNEN, patrii Senatus membro Dignissimo,  
gravissimo, Viehlandiæ inferioris Gogravio, Fautori devote  
semper colendo.

DN. JOHANNI WICHELHAUSEN, Magnario florentissimo,  
Senatorii Ordinis Viro, Gogravio Hollerlandiæ gravissimo, pru-  
dentia & dexteritatis laude perinlyto, Patrono omni observan-  
tiæ cultu, usque dum conclamatum fuerit, profecundo.

DN. NICOLAO NONNENIO, S. S. Theol. Doctore, atque ver-  
bi Divini Præconi ad Divi Johannis fidelissimo, meritissimo,  
Fautori meo, quoad animam emifero, colendo.

DN. JOHANNI HAVIGHORSTIO, SS. Th. nec non Eloquen-  
tiæ Professore, Bibliothecario, atque Pædagogarchæ Clarissimo,  
Doctissimo, Cognato ac studiorum meorum Moderatori, hono-  
re, & observantia nunquam non profecundo.

DN. ANTONIO BARKEY, Negotiatori urbis patriæ felicissimo,  
florentissimo, Diacono ad D. Martini per longam jam annorum  
seriem fidelissimo, dexterrimo, Hospiti meo munificentissimo at-  
que honoratissimo.

DN. CHRISTIANO BRUNINGS, parenti optimo, eruditæ pie-  
tatis æstimatori, amore & filiali obsequio per vitæ dies colendo,

Mecænatibus, Patronis ac studiorum Moderatoribus  
perpetuo suspiciendis,

*ea, qua par est, observantia  
hocce anathema sacrum facio*  
RESPONDENS.



בגרות:

De STATUA HAEMORRHOUAE

Disquisitionis Capitis *primi*,  
in quo, quid de illa traditum sit, recenseatur,

ARGUMENTUM.

Summa dicendorum & series §. 1. Narratio Eusebii producitur integra. §. 2. Multi alii veterum eam meminerunt. §. 3. Conferuntur eorum narrationes, quoad mulieris *nomen*, (*Beronice*), *locum*, *formam*, *materiam*, *inscriptionem*. §. 4. Herbam medicam, quae statuæ accreverit; §. 5. De literis supplicibus, quas Maëla mulierem Herodi obtulisse scripsit. Illarum *veritas* variis argumentis evincitur. §. 6. De *fatis* statuæ? An Julianus destruxerit? Quo pervenerit tandem §. 7. Urbs, in qua fuisse dicitur, variis insignita fuit nominibus. Dicta enim dicitur *Dan*, *Paneas*, *Banias*, *Φωνεας*, פמריס, *Laisa*, *Leschem*, *Leselam*. §. 8. *Caesarea*; Variæ ejus nominis urbes. *Caesarea Philippi*, *Philippopolis*. *Claudia Caesarea*. §. 9. *Paneas*, *Panium*, *Phano*, *Panosus*, *Pbaneas*, *Baneas*. Num ea sit *Apamea* §. 10. *Neronias*, *Τοροπυργος*, *Helimas* §. 11. *Velina*, *Belina*, *Bellena* §. 12. *Aliae* ejus erroneae appellationes, §. 13.

§. 1.

**D**ominus noster *JESUS CHRISTUS*, orbis terrarum Restitutor, quando hominem indutus in terris versabatur, peragravit totam Palaestinam *ἑξαπέμων πεισιν νοσον, καὶ πεισιν μαδακιαν ἐν τῷ λαῷ*. Inter illos, qui tali beneficio ab eo facti fuerunt, commemoranda in primis est mulier *ὄσα ἐν ῥυσει αἱματῶ ἐτη δαδεκα*, quae obviam ei facta contactu solum fimbriae ejus vestis à foedissimo juxta, ac tot annos inveterato morbo liberata fuit feliciter. Narrationem hanc victuris aeternum monumentis commendarunt tres Sanctissimi historiae evangelicae constituendae Quatuor - Viri, *MATTHAEUS*, *MARCUS*, *LUCAS*. *Hic* quidem cap. IX, vs. 20, 21, 22. *Iste* cap. V. commatibus 25 — 35. *Ille* denique cap. VIII. incis. 43 — 49. Quam indubiae autem fidei sunt illa, quae augusta haec Virorum

A

Τελος

Teras literis prodidit, tam ancipitis, imo sublestae est, vetusta licet traditio, quae circumfertur, qua feminam istam, suum ut animum tanti beneficii memorem publico aliquo, ac aetatem laturo monumento declararet, impensis suis statuam ex aere conflata in urbe Paneadenſi erexiſſe, atque honoribus Evergetae ſui & medici conſecraſſe perhibent. Paſſim à viris eruditis, qui veteris aevi reſ geſtaſ commentariis ſuis exhibuerunt, illius facta eſt mentio. Immo peculiaris de illa proſtat diſſertatiuncula Jo. Friderici *GLATZII*, quam ſub Joannis *SCHMIDII*, clariffimi in alma Philirea Profeſſoris auſpiciis ante hos octo ſupra viginti annos prodire fecit. Conſtitutum tamen & nobis nunc eſt, (ὄν Θεω δ' εἶπεν) paulo uberius de illa diſerere. Si cui allubitum fuerit hanc tractationem noſtram cum aliorum contendere obſervationibus, neque operam nos abuſos, neque actum egiſſe deprehendet. Materiam autem omnem in tria capita diſpeſcentes ita digeremus, ut *PRIMO* hiftoriam ipſam ex veterum ſcriptis collatiſ inter ſe rerum circumſtantiis eruamus. *DEINDE*, quid de illius veritate narratiunculae credendum eſt, aperiemus. *DENIQUE* fontem atque originem ejus fabulae, qua mulier Caefareae Philippi Chriſto monumentum aeneum ſtatuendum curaviſſe refertur, indagemus.

§. 2. *Primus*, cui illam debemus eſt *EUSEBIUS*, Caefareenſis epiſcopus, cui eccleſia Chriſtiana plus, quam vulgo creditur, debet. Ejus verba, cum totius negotii fundamentum contineant, & veluti fontem, ex quo reliquae narratiunculae promanarunt, non pigebit integra adſcribere, uti in hiftoria ejus eccleſiaſtica L. VII. c. 18. leguntur. Ἀλλ' ἐπειδὴ τῆς δὲ τῆς πόλεως εἰς μνημὴν ἐληλυθα, ἕκ ἀξίον ἡγεμαὶ παρελθεῖν διηγήσιν καὶ τοῖς μετ' ἡμᾶς μνημονευομένη ἀξίαν. Τὴν γὰρ ἀμορροοῦσαν ἦν ἐκ τῶν ἱερῶν Ἐυαγγελίων πρὸς τὴν Σωτῆρα ἡμῶν τὴν πατρὸς ἀπατάλην ἐνερχομένη μεμαθηκαμένη ἐνθενδε ἐλεγον ὀρμασθαι. τὸν τε οἶκον αὐτῆς ἐπὶ τῆς πόλεως δεικνυομένη, καὶ τῆς ὑπο τῆς Σωτῆρα εἰς αὐτὴν ἐνεργασίας θαυμαστά τροπαία παρεμνεῖν ἕσταναι γὰρ ἐφ' ὑψηλῆς λιθῆ πρὸς μὲν τὰς πύλας τῆς αὐτῆς οἴκῃ, γυναῖκα ἑκτυπώμα χαλκεόν ἐπὶ γούυ κεκλιμένον. καὶ πεταμέναις ἐπὶ τὸ προῦθεν τὰς χεραῖν, ἰκετευομένη οἰκῆ. τετὰ δὲ ἀντικρὺς αἰθῶ τῆς αὐτῆς ὑλῆς αἰδομένη ὀρθίον χημά, διπλοῖδα κοσμίως περιβεβλημένην, καὶ τὴν χεραῖ τῆς γυναῖκῃ προτεινον. ἔ παρα τοῖς ποσὶν ἐπὶ τῆς σῆλης αὐτῆς, ζῆνον τὴν βοτάνης εἶδος φνεῖν. Ὁ μετὰ τὴν κεκοπεδὸς τῆς τῆς χαλκῆς διπλοῖδα αἰ-

νιον, ἀλεξιφάρμακον ἢ πάντων νοσημάτων τυγχάνει· τῶν δὲ τὸν ἀνδριαντῶν  
 εἰκόνα τὴ Ἰησοῦ Φερεινὴ ἐλεγον. Ἔμεινε δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς, ὡς καὶ ὄψει παρελα-  
 βειν ἐπιδημοῦντας αὐτὴς τῆ πόλει· καὶ θαυμαστον ἔδει τὴς παλαιᾶ ἐξ ἔθνων  
 εὐεργετηθέντας πρὸς τὴ Σωτηρῶ ἡμῶν, ταῦτα πεποιθέναι. Ὅτε καὶ τῶν Ἀπο-  
 στολων αὐτὴ τὰς εἰκόνας Παύλου καὶ Πέτρος καὶ αὐτὴ δὴ τὴ Χρῆστ, δια χρωμα-  
 τῶν ἐν γραφαῖς σωζόμενας ἰσθησάμεν· ὡς εἰκῶ τῶν παλαιῶν ἀπαρχοφυλακ-  
 τῶς οἷα σωτηρίας ἐθνικῆ συνήθειᾳ παρ' ἑαυτοῖς τῶν ἡμῶν εἰωθῶτων πον τροπον.

Haec ab Henrico Valefio sequentem in modum in sermonem La-  
 tinum conversa sunt; Sed, quandoquidem huius urbis mentionem feci-  
 mus, non incongruum fuerit, rem quandam memoria imprimis dignam poste-  
 ris tradere. Etenim mulierem illam sanguinis profuvio laborantem, quam  
 ex sacris Evangelii discimus à Servatore nostro curatam fuisse, ex hac ci-  
 vitate originem traxisse ferunt; domumque ejus ibidem conspici; Et collati  
 in eam à Servatore nostro beneficii illustria extare monumenta; Quippe jux-  
 ta januam domus illius aenea mulieris effigies stare dicitur columnae lapi-  
 dae imposita; genibus flexis portensisque manibus instar supplicantis. Ex  
 adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide de-  
 center induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipsa basi  
 ignota quaedam nasci dicitur planta: quae ad simbriam usque aeneae diploi-  
 dis assurgens depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium est.  
 Haec statuum Jesu Christi speciem referre ajebant. Mansit porro ad nostra  
 usque tempora, nosque aded urbem illam ingressi, ipsam conspeximus. Nec  
 verò mirandum est, Gentiles à Servatore nostro beneficii affectos haec prae-  
 stitisse, cum Et Apostolorum Petri Et Pauli, Christique ipsius pictas imagi-  
 nes, ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus; Quippe  
 prisca illi, absque ullo discrimine cunctos de se bene meritos Gentili quadam  
 consuetudine tanquam Servatores colere hujusmodi honoribus consueverant.

§. 3. Eusebium secuti sunt deinde non pauci alii longo  
 agmine, Commemorant enim id factum, idque μνημεῖον ex veteribus  
 RUFFINUS hist. eccl. L. VII. c. 14. ASTERIUS Amassenus in homil.  
 X. de Jairo & muliere haemorrhousa in Photii μνημ. cod. 271. PHI-  
 LOSTORGIUS hist. eccl. L. VII. c. 3. SOZOMENUS H. E. L. V. c. 21.  
 CASSIODORUS in hist. tripartita L. VI. c. 41, 42. EPIPHANIUS  
 Diaconus ap. CAROLUM M. in Libro quarto de imagg. c. 15. edit.  
 omnium rariss. Tilianae p. m. 563. THEOPHYLACTUS in Matt. c. IX.  
 Jo. MALALA Antiochenus in Chronogr. p. 305 sqq. (ed. Oxon.)

Jo. DAMASCENUS Or. III. de immag. edit. Basil. pag. 787. at p. 369. T. I. illius, quam Michael *Lequien* edidit, quae tamen num Jo. Damasceni sint, dubitat *Humfredus Hodius* in prolegom. ad Malalam §. 32. Acta septimae, synodi (NICENAE II.) act. IV. T. IV. editionis *Harduini conciliorum* postremae pag. 260 sqq. Sanctimonialis HEIDENHEIMENSIS, quae seculo VIII. conscripsit vitam s. hodoeporicon S. *Willibaldi*, Episcopi Aichstadiani, editam ab *Henr. Caniso*, in nuperrima Amstelodamensi *ἑκδοσει* Vol. I. T. I. p. 119. ARTEMIUS Actorum 20. Oct. c. 38. (citante *Gothofredo* ad *Philostorgium*) AGOBARDUS de immag. in *Opusc.* p. m. 238. & in *Bibl. PP.* T. IX. p. m. 1276. S. GERMANUS, Patriarcha Constantinopolitanus in *Epist.* ad *Thomam*, Episcopum *Claudiopolitani*. CEDRENUS *annal.* T. I. p. 305. editionis regiae. THEOPHANES in *Chronogr.* p. 41. GEORGIUS Monachus in scriptoribus post *Theophanem* pag. 506. METAPHRASTES in vita S. *Procopii*. GLYCAS *ann.* P. IV. p. 253. INCERTUS AUCTOR, cujus *παραφρασεις χρονικας* edidit *Franciscus Combesius* in manipulo P. R. Constantinopolit. Par. 1664. 4. edito pag. 241. quique in corpore historiae Byzantinae additus est *Codino* de origg. *Const.* p. 97. ubi & P. *Lambecii* notae adiectae sunt. Is autem allegat nescio quem ΔΙΑΚΡΙΝΟΜΕΝΟΝ, qui historiam illam *ἀκριβεστερον μεμνηται*, accuratius meminerit. Porro NICEPHORUS, idque bis, videlicet *Hist. eccl.* L. VI. c. 15. ubi *Eusebium* secutus est, & L. X. c. 30. ubi *Philostorgium* non addito ejus nomine exscripsit, & *BAR BAHUL* auctor *lexici Syriaci* manu *exarati*, quod ex *Jesu Ebed*, *Isaac bar Ali Mazuzaeo* & *Gabriele Medicis* collectum in *Bibliotheca Cantabrigiensi* exstat, quemque partim eadem cum *Eusebio*, partim ab illo diversa, fusius tamen tradidisse *Edmundus Castellus* in *lexico* refert p. 3016. in radice פבך vel פבך.

§. 4. Conveniunt illi omnes in eo generatim, quod statuum a muliere a Christo fanata in ejus honorem apud *Pancadenses* collocatam fuisse, uno ore enarrant, singulares autem facti circumstantiae, alio atque alio modo recensentur. *Βερονικην* feminam hanc appellat *Malala* & *Codinus* l. c. *Βερονικην* Jo. Damascenus, *Βερονικην* *incertus auctor* apud *Combesium*. Ne jam memorem auctorem libri de *Salomone*, qui *Ambrosio* vulgo tribuitur cap. s. mu-



5. mulieri fluxum sanguinis passae *Marthae* nomen tribuentem. Quod LOCUM adtinet, in Urbe quidem Pancade factum esse perhibent omnes, in loco autem urbis assignando variant. Medium urbis habet, Malalas. Ante aedium fores collocarunt Eusebius & Theophanes. Philostorgius, quem secutus est Nicephorus *κατα την πηγήν την ενδον της πολως*, prope fontem, qui erat in urbe, ut accedentibus aliquid voluptatis illud simulacrum apportaret, positam scribit. Eusebius vocat monumentum hoc *σηλην & ανδελαντα*, quem secuti sunt Asterius, Glycas & Theophanes, Malala *σηλην*, Philostorgius *εικονα*, Sozomenus *επισημον Χελισα αγραμια*, ex more veterum, qui statuas passim appellant imagines. Certant etiam de materia. Aeneam facit Eusebius, & cum eo & Asterius, & Philostorgius, & Nicephorus & Glycas. Malala autem describit *σηλην εν χαλκω θεμελιωται*, rectius *θεμελιωται*, ut habet Damascenus, *columnam ex aere ductili*, cui admiscuerit mulier, *εραχυτι μεροσ χρους και αργυρου*, quantum auri & argenti. Inscriptionem additam, sed, cujus literae longo temporis tractu vel erasae vel limo obductae, fere jam oblitteratae fuerint, narrat Philostorgius, & ex eo Nicephorus, reliqui autem omnes de ea silent. Eusebius meminit *υψηλα λιθω*, Nicephorus *πινος κιονος*, columnae alicujus, cui tanquam basi duae figurae aeneae fuerint impositae.

§. 5. Singulare est, & insolens, quod addunt de herba quadam salutari, quae ei accreverit. Eusebius eam vocat *ξενον βοτανης ενδω*, *ο μεχρη τε κροσπεδα της τε χαλκω διπλοιδος ανιον, αλεξιφαρμακον τε παντοιων νοσηματων πυγχανει*, quem sequitur Sozomenus. Cedrenus & Theophanes illam vocat *παισης νοσου αλεξιπηλειον*. Philostorgius, & ex eo Nicephorus scribit omnium quidem morborum, maxime vero *της φθινωδω* fuisse remedium. Theophylactus profluvium sanguinis mederi refert. Rufinus commemorat eam, cum exorta fuerit, excrescere usque ad stolae illius aenei indumenti simbriam solere, quam cum summo vertice crescens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirere, ita ut quaecunque illa fuerit infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, nihil omnino virium gerens, si antequam aeneae simbriae summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Sozomenus addit, *ως το ενδω εδεις εγνω των εν τη καθ' ημους ιατρων η εμπειρων, medicωσ εμπιρικωσ*, juxta cum

ignarissimis scivisse, qualis illa fuerit. Incertus auctor Combessii appellat ἀλεξηθηλειον Φαρμακον πρὸ πικρῶν νοσῶν ἐπιτηθειον, quod Ἐτοεῖς ex utero matris potuerit visum restituere, ubi tamen sapienter addit, ὡς φασι, ut ajunt. Idem addit Julianum id confpicatum, & mysterium sciscitatum, statua fracta plantam illam succendisse, uti & Theophanes commemorat illā herba incitatum esse Julianum τὸν ἀποστατην, ut statuum everteret. Carolus M. tamen meminit quidem herbae illius, quae cunctis aegritudinibus mederetur, se tamen de re dubitare satis prodit, cum addit, si tamen factum fuisse credatur.

§. 5. Id pariter peculiare est, quod Johannes, Episcopus Antiochenus, cognomine Malala, & ex eo Jo. Damascenus in locis, quae adduximus, referunt. Mulierem illam, Pancadensem civem, quam vocant ἐυπρωτωτον, i. e. valde divitem, erecturam Christo monumentum id facere non ausam, nisi prius impetrata venia, ideoque libellum supplicem Herodi obtulisse, quo illius rei licentiam sibi exoraret. Exhibentur illae supplices literae integrae apud utrumque illum Joannem, quorum scripta si quis non possidet, ex iis tamen illas depromptas consulere poterit in celeberrimi J. A. FABRICII Cod. apocr. N. T. parte III, p. 449 sqq. ad quem B. L. ablegatum volo. Sunt autem illae tam ineptae, tam affectatum in modum exaratae, ut non facile putem quonquam, qui nasum habet, eas è manu illius feminae profectas esse, animum inducturum, ut credat. Sane vel solus titulus, qui epistolae praefixus est, tot malae fidei notas pene exhibet, quot voces. Quando enim scripsisse fingitur, Σεβαστῶ Ἡρωδῆ πεπερχῆ, θεσμοδοτῆ vel θεσμοθετῆ Ἰουδαίων καὶ ἐλλήνων, βασιλεῖ τῆς οὐρανοῦ καὶ γῆς ἰκεσίας δεήσεις παρὰ Βεροῦνης, ἀξιωματικῆς πόλεως Παναστῶ, eccui non illico fraus subolet? Quis enim in veterum scriptis tam hospes est, ut ignoret tantas titulorum ampullas à prisco scribendi genio prorsus alienas esse? Ecquis πεπερχῆ titulum Romanis plane ignoratum, esse nescit? At hoc ferri quodammodo poterat, & tribui hallucinationi librarii, qui scribere voluit *Tetrarchae*, quam dignitatem Augustum imposuisse Herodi, ejusque fratri Philippo post mortem patris Herodis magni scimus, vel etiam Εὐναρχῆς, qui titulus Herodi Herodis M. F. etiam in nomismatibus tribuitur. Porro titulus θεσμοδοτῆ vel θεσμοθετῆ Ἰουδαίων καὶ ἐλλήνων Herodi, qui sub Roma-

Romanorum, ad quos tum omnis potestas νομοθετική pertinebat, clientela, vixit, tam bene, i. e. perperam conveniebat, quàm τὸ Σεβαστῶν, cum à temporibus Octavii Augusti hunc tanquam primi in orbe Romano fastigii, ac summae in eo potestatis insigne sibi solis vindicatum voluere Imperatores Romani, docente Ezech. Spanhemio in praestantissimo de *praestantia Numismatum* opere T. II. Diff. XII. p. 371 sqq. Insignis pariter lapsus est, quando Herodem vocat Βασιλεα τῆς Τετραγωνίδου χώρας. Ut enim non dicam τὸ βασιλεως nomen illi valde ἀκύρωσ, tribui, quamquam hoc fortassis tolerari posset, constat Augustum Philippo τῆν Τετραγωνίδα cecisse, non autem fratri ejus Herodi, cui Galilaea & Peraea paruere. Sed haec, aliaque jam partem notata sunt. Cf. CASAUBONO in Ex. contra Bar. XIII. 38. & Godofredo OLEARIO, Lipsiensi Theologo pereximio, qui ante decem admodum annos in ipso aetatis flore immaturo nimis bonis literis fato extinctus est, in cultissimis ad Matth. observacionibus c. XXXI. §. 7. Unicum adjicere liceat, ex quo insignita impostoris oscitantia manifeste elucet. Scribit δεησιως illius scopum fuisse, ut peteret licentiam in illa urbe ἀναστῆσαι ἐν ἡλῆν τῷ Σωτηρὶ Χριστῶ, erigendi statuam Servatori Christo. Ipsa epistola ita clauditur; καὶ ὑμεῖς σέβασαι τὴν δεησιν αὐτῶν τῆ δεομένην παρεργετέ. Illa itaque δεησις, e- jusque argumentum, cum maxime proponenda ac urgenda erant. At nihil prorsus hujus rei factum est. Prolixa est epistola in enarranda historia miraculi. De ipsa petitionis summa ne γὰρ quidem occurrit. Praeterea id quoque non praetermittendum est. Joannes Damascenus scribit eam rogasse, ut liceret sibi Christo dicere ἐν ἡλῆν χρυσοῦν, statuam AUREAM. Voti sui fit compos, permittitque illi Herodes, ut Christo statueret columnam; QUALEM VELLET. Illa vero perhibetur porro non AUREAM illi posuisse, sed aeneam, cui tantum βραχὺ ἢ μέγας, PAUXILLUM AURI atque argenti admixtum esset. Oportet mendacem esse memorem!

§. 7. Quod ad FATA ejus adinet, ea pariter non minus varie narrantur. Eusebium testantem sua adhuc aetate eam exstisse, & à se oculis suis esse conspectam audivimus. Errat itaque Asterius apud Photium, quando Maximinum ita in illud monumentum bacchatum esse scribit, ut illud destructum iverit. Si enim Eusebius, qui post Maximini tempora scripsit, illud vidit, ab hoc everti

everti nequivit; nisi id eum vidisse valde juvenem velis conjicere. At fortasse Julianum cum Maximino confudit Asterius. Neque rationes desunt, quae & illud à Juliano factum, nos faciunt ambigere. Qui enim ejus res gestas pertexuerunt, & contra eum scripserunt, Cyrillus, atque alii, hujus facinoris neque meminere, neque illi exprobrarunt. Sunt tamen alii plures, qui id commemorarunt. Illum enim illud disjici jussisse κατ' ἐμπαιγμον διθεν σφραγιστων ἐκλωνων των ἀνδριαντων και ἀντ' αὐτης ἔσανον ὀνομασι Ἰουλιανὸν ἔφασαντων, gentibus illud ludibrio trahentibus, & loco illius imaginem Juliani collocantibus, tradunt Philostorgius, Glycas, Theophanes, Nicephorus; Philostorgius quoque addit comminuto toto corpore caput à cervice sejunctum esse, & quosdam, qui gestis indolebant, illud clam suscepisse, & quantum potuerunt, conservasse, seque in illos incidisse. Sozomenus id quoque adjicit, statuae à paganis confractae reliquias à Christianis collectas in ecclesiâ, i. e. templo, repositas fuisse, ἐνθα και νυν φυλασσεται, in qua & suo tempore abduc servatae fuerint. Id quoque commemorabile est, quod idem addit, postquam Julianus imagine Christi subversa suam eo in loco substituisset, statim ignem summa vi e coelo delapsum, pectus statuae, eique vicinas partes discidisse, caputque una cum collo dejecisse & pronum humi infixisse, quatenus pars pectoris dirupta erat. Atque ex eo tempore statuam ad sua tempora eâ specie perseverasse, fuligine fulminis obstitam; quod cum Asterii: saltim narratione non concordat, qui suo tempore non amplius exstitisse notat, ἰδὲ γὰρ ὁ ἀνδριανὸς ἔφασκεται, nisi ita utrumque conciliare malis, quod hic loquatur de integra statua, quae fracta fuit, ille autem de fragminibus statuae, uti & Sozomeni verba explicari possunt. Auctor Anonymus Combesifii occasionem quoque pandit facinoris à Juliano in illud sigillum pat.ati, sc. quod herbae illius, de qua modo locuti sumus, mirificam vim cognoverit, quam igne exusserit, erectoquo illic loci Jovis & Veneris idolo, ut & suo, templum extruxerit, hac addita inscriptione, ΤΑ ΔΕ ΘΕΩΙ ΔΙΙ ΠΑΝΤΕΠΟΠΗΤΗ ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΠΑΝΕΑΔΙ ΕΙΣ ΔΩΡΟΝ ΑΓΕΙ; Haec Deo omnium inspectori Julianus Paneade dono offert. Ibi etiam Martyrium Episcopum (a) multa contentim in eum locutum prope templum, tanquam victimam Deorum, ut aiebant, combustum esse. Tem-

(a) Patet inde in ea urbe quoque sedem episcopalem fuisse, nisi alius loci Episcopus fuerit, ex quo, cum martyr diceretur, factus sit Martyrius Episcopus.

poribus Juliani, non à Juliano destructam tradit Theophylactus. Malala denique, & ex eo Joannes Damascenus hoc habet, statum illam à loco, ubi steterat, translata esse εἰς ἄγιον ἐκκλησιῶν οἶκον in sanctam domum oratoriam, se autem illam invenisse apud Bassum quendam, qui à Judaismo ad Christianismum transierat. Illud autem oratorium haud dubie est illud τῆς ἐκκλησίας διακονικόν, in quod illam esse scribit Philostorgius & ex eo Nicephorus. Willibaldum, qui seculo VIII. Palaestinam peragravit, illam Christi statum vidisse in ecclesia narrat, quae vitam ejus scripsit, monacha in Lect. ant. Caniss. ed. Amst. T. II. p. 119.

§. 8. Quàm variis autem modis ea, quae ad hoc μνημειον spectant, narrantur, tam amice omnes, ac constanter in eo conspirant, urbem, in quo illud excitatum, conspectumque est, fuisse PANEADA, Phoenices (a) vel Trachonitidos oppidum circa extremos Palaestinae fines in regione, quae Paneas olim quoque dicta fuit, nunc WADETTEIN appellatur, non longe ab ortu (b) Jordanis fluvii positum. Multae (c) exstant eruditorum virorum lectu dignae de illa adnotationes. Eas congerere in volumum

B

mulum

- (a) Corrigendus itaque est Thomas de Pinedo, quando ad ea Verba Stephani; Πανεας, πολυχιων φοινικης scribit: Sane nullum novi hujus nominis Phoeniciae oppidum, cum Plinius ac Josephus Paneada regionem nominent. Non minus enim urbem quandam eo insignitam fuisse nomine, quam regionem, equis ignorat? Porro perperam scribitur Phoenicia pro Phoenice. Sed haec homini Judaeo condonanda sunt. Caeterum in nummo M. Aurelii apud Car. Patinum p. 247. vocatur Πανελις Συρίας; ut & in nummo Diadumeniani, apud Hubertum Goltzium in Thef. rei antiquariae p. 414. & Patinum p. 327. ubi habet Πανελις. πολυχιων. συρ. παλ. hoc est Συρίας πολυχιωνης, nisi cum aliis hunc nummum ad Flavianam Neapolin, quae Sichem est, transtuleris & legeris; ΦΛ. ΝΕΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ. ΣΥΡ. ΠΑΔ. i. e. Flaviae Neapolis Syriae Palaestinae. Trachonitidi adscribit Plinius L. V. c. 16. Trachonitis Paneas, in qua Caesarea cum supra dicto fonte. Josephus eam inter Galilaeam & Trachonitin collocat. Phoenices urbem quoque dicunt Sozomenus & Ptolemaeus.
- (b) Curiosa & animadversione digna de hujus fluminis origine habet de la ROQUE dans La voyage de Syrie & mont Liban, ante biennium edita Hagae Comitum, pag. 246 — 263.
- (c) Operae pretium tuleris, si consules Henr. NORISIUM de epochis Syro Macedonum p. 442 — 453. Ez. SPANHEMIUM de praef. Numism. T. I. p. 526. de la ROQUE in allegato itineraio T. I. p. 265 — 276. Jo. REISKIUM in exerc. sane lucernam olentibus de Christi IMAGG. ex. IV. c. 1. §. 4. Jo. HARDUNUM in notis ad Plin.

mulum nec lubet, nec vacat. Addam tamen unicum, quod observavi; nimirum, nulla, quantum memini, civitas est, quae tot nominis sui commutationes passa est, quam Paneas. Sunt, qui putant hanc esse, quae antiquissimis temporibus dicta fuit DAN. Id facit Hieronymus in Ezech. cap. 27. & quaest. Ebr. in Genesin & comm. in Matth. cap. 16. Sic & Samaritanus דן Gen. XIV. 14. reddit per פניאס, uti & Arabus دانباس *Banias*. Philostorgius quoque id affirmat; quamquam Eusebius Dan & Paneada distinguit, & Δαν vocat τὴν πλησίον Πανεად. in Onomastico in voce Πανεαδα, & Hieronymus in L. de locis Ebraicis Dan quarto à Paneade milliario collocat. Hinc cum & Dan dicta fuit LESCHEM, & לשם דן, (a) ut patet ex Jos. XIX. 47, id quoque nominis Paneadi nostrae conveniret, quod & docet Hieronymus ad cap. XLVIII. Ezechielis, & R. Isaacus in tract. Talm. Megill. fol. 6: 1. לשם זו פמיס; LESCHEM est PAMIAS; ubi glossa, *Leschem est civitas, quam subjugarunt Damitae, Pamiarum autem est locus, unde oritur Jordanes*. Theodoro quaest. CX. in Genesin effertur ΔΑΙΣΑ, quam ait esse nunc vocatam *Paneada*, quod idem nomen esse cum *Leschem* patet ex collatione citati Josuae loci cum Jud. XVIII. 27. 29. ubi legitur in Hebraico לשם, LAISCH. Unde & Brocardus hanc *Lachis* dictum scribit in descriptione terrae s.

§. 9. Circa tempora autem Servatoris illi urbi impositum est nomen CAESAREAE. Idque à Philippo Tetrarcha, non ab Herode magno, ut errat Philostorgius, confundens cum illa Caesarea Palaestinae, alias *Stratonis turris* dictam, quam ab Herode eonditam refert Josephus de B. J. L. I. c. 16. cum hujus structuram adscribat Philippo Ant. L. XVIII. c. 3. & de B. J. L. II. c. 8. quem sequitur G. Syncellus ed. reg. p. 320. Erant autem variae urbes, quae

ad Plin. V: 16. Jo. LIGHTFOOTUM in cent. chor. c. 67. Opp. T. II. pag. 220. C. CELLARIUM in Geogr. V. T. II. p. 619 sqq. Jos. SCALIGERUM in Euf. Chronol. p. 170. Cl. SALMASIUM in exerc. Plin. p. 575. 576. Hadr. RELANDUM in Palaest. p. 918 sqq. Ol. DAPPERN in Palaest. p. 121. 122. qui sua mutuatus est ex Adrichomio, J. G. *Leucfeldium* in N. ad Buntingium T. II. p. 27.

(a) Inde formatum est nomen LESEDANI, quo hoc oppidum in libris regum insigniri saeculo decimo tertio, Episcopus Paderbornensium *Olivarius* scripsit in *disf. Regum terrae sanctae* apud ECCARDUM script. medii aevi T. II. p. 1372.

quae à Caesaribus nomen suum tulere. Scilicet quod ad Augustum attinet; *reges, populi Romani amici in honorem ejus condebant civitates, quas CAESAREAS nominabant*, ut Eutropius loquitur Lib. VII. c. 5. quibus Suetonius in Aug. c. 60. paria fere habet. Sic praeter illam, cujus jam meminimus, nota est Caesarea Cappadociae ad montem Argaeum. Caesarea Bithyniae, Caesarea Siticensis urbs Mauritaniae littoralis, patria Macrini. Caesarea Euphratesiae, quae alias *Neo-Caesarea*. Caesarea Armeniae, cujus solus Plinius meminit. Caesarea Pisidiae, quae Colonia fuit Antiochensium. Caesarea Numidiae, quae alias *Jol* est dicta, quam multi putant nunc eheu! hodie Christiano nomini infaustam, piraticaque famosam esse *Algeriam*. Caesarea Mauritaniae Tingitanae, quae alias *Tingis* appellabatur. Caesarea ad Anazarbum in Ciliciâ. Ne nunc memorem Caesaream, insulam, quae Galliam & Britanniam interjacet, quam nunc dici *Jersey*, sive *Garsey* putant. Ab illis itaque ut discerneretur nostra Paneas dicta est à Conditore suo CAESAREA PHILIPPI, quod nomen legitur apud (a) Matth. XVI. 13. & Marc. VIII. 27. & alios auctores passim. Hubertus Goltzius in Augusto producit nummum, in quo occurrit COL. CAESAREA. PHILIPPI, sed de ejus fide non sine rationibus dubitant viri docti. Idem in thesauro p. m. 136. producit nummum Otacillae, in quo memoratur ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΣ ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝΙΑΣ. Inde incolae civitatis dicti ΚΑΙΣΑΡΕΟΙ ΦΙΛΙΠΠΟΛΙΤΑΙ, in nummo, quem laudant Adolphus OCCO & L. HOLSTENIUS. Unde & nova exsurgit urbis nuncupatio, PHILIPPOLIS. In tabulis Peutingerianis vocatur CAESAREA PANEAS, uti in nummo Francisci Dronii apud NORISIUM p. 448. ut & apud HARDUINUM Opp. sel. p. 782. Goltzius in Thesauro nummum Titi exhibet, in quo legatur, CAESAREA PANIAE. Porro ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΥΠΟ ΠΑΝΕΙΩ in nummis apud Norisium p. 447. & Harduinum in operibus selectis pag. 782. & Severi apud eundem pag. 799. occurrit, sicut ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΙΕΡΑ in nummo Getae, vel ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΝ ΥΠΟ ΠΑΝΕΙΩ in nummo M. Aurelii Antonini apud Norisium p. 446. & Harduinum p. 40. legitur. CLAUDIAM quoque CAESAREAM in nummo Herodis

B 2

(a) non apud Paulum, quem errorem errat Petrus Bellonius in Obs. L. II. c. 95.

rodís, qui in gazophylacio Barbarinorum Romae est, dici Lucas Holstenius existimat in notis ad Stephanum p. 154. Mavult autem hanc appellationem potius transferre ad Caesaream Palaestinae Harduinus in L. de nummis Herodiadum. Ad neutram refert Norisius citati libri diff. III. §. 4. Holstenio tamen accedit, & ad nostram Paneadensem transfert, quo nemo in his rebus accuratius arbitratus est, SPANHEMIUS T. I. p. 526. Judaei scribunt קיסריה & קיסרייה.

§. 10. Antiquum, & per multa saeculorum spiramina conservatum, (a) maximeque vulgatum civitatis (b) nomen est ΠΑΝΕΑΔΟΣ, non Panii, ut quidam Antrum, cui imminebat urbs, vel montem, cui adiacebat (c) cum urbe commiscentes, perperam scripserunt. De CAESAREA PANEADE & PANIAE jam dictum est. Παναγάδα vocant Andronicus, Cedrenus, Syncellus. Idem tamen Cedrenus T. I. p. 184. appellat PANOSUM. Ἰσο τοῦτῃ ἢ ΠΑΝΟΣΟΣ καίσαρεια Φιλιππῶν μετωνομασθη δια το ἀνακλιθῆναι παρὰ τῆς Τετραρχίας Φιλιππῶν. Paulo tamen postea confundit cum Caesarea Palaestinae, καὶ πανεῖον εἰδωλεῖον κατεσκευασέν ἐν Παναγαδί τῷ Πανί ἐν τῇ νῦν λεγομένῃ Καισαρείᾳ τῆς Παλαιστίνης. Quod πανεῖον ad Paneadensem urbem referendum esse, nemo potest ambigere. In nummis M. Aurelii, Macrini, Diadumeniani hoc nomen scribitur ΦΑΝΕΑΣ. Syri פנאס. Arabes فانباس, Baneas, quia litera B non utuntur, ut patet ex tabula longitudinis & latitudinis Abulfedae, quam edidit Hadr. Relandus, & in geogr. manuscripta, quam idem excitat. Judaei efferunt פנייאס בגלילתה ערעי. Alias, ut jam visum est, פנייס.

- (a) Urbs Paneas nomen suum videtur nata esse à Panio vel Πανειῶ, quod spelunca fuit prope hanc urbem amoenissima. Haec autem dicta est à Pane, cujus simulacrum perquam vetustum ibi colebatur religiose, cujusque effigies in Paneadensium nummo non uno occurrit. Videtur autem Pan ibi praecipue cultus, quod ille praesidere sylvis, montibus & commorari in antris credebatur, unde dicitur Flaccò, *Pan NEMORUM bellique potens*. Sylva autem ejusmodi Paneadi ad orientem adiacebat, teste Gul. Tyrio L. XV. c. 9.
- (b) Errat itaque Philostorgius, quando prius Caesareae Philippi, deinde autem Paneados nomen tulisse scribit. Quem improvide secutus est Forbesius Instr. L. VII. c. 8.
- (c) Mons ille, cui adiacebat Paneas, vocatur *Phano* scriptori Vitae S. Wilibaldi apud Canisium ed. nuperae T. II. p. 119, qui etiam minus accurate scribit, à Phoenicibus *Phaneada* sive *Paneada* dicitur. *Paneas* eam dicta est, non *Phaneada*.



פמ"ט. Id fieri in Targum Cantici cap. V. jam ad Eusebium annotavit Jos. Scaliger. Quaeri potest, num eadem sit urbs *Apamea* sive פמ"ט, cujus non infrequens mentio est in Talmude, quod quondam haud improbable visum est LIGHTFOOTO Opp. T. I. p. 221. Convenit enim nomen, cum jam ב in מ in eadem hac voce mutatum esse vidimus, & nihil frequentius sit, quam ut à Judaeis נ nominibus propriis praefigatur. Porro ajunt Talmudici scriptores, Apameam fuisse positam in Syria; Illud vero nostrae Paneadi convenit, quae appellatur in nummis *Φανείας, πόλις Συρίας* & *πόλις Συρ. Πάλ.* ut & *πόλις Συρίας Παλαμηνής*. Et cum Judaei inter maria terram Israeliticam continentia recenseant פמ"ט נמ"ט, *Mare Apamiae*, videtur intelligendum ingens illud stagnantium aquarum receptaculum, quod prope Paneada ad Jordanis scaturiginem erat, teste Josepho de B. J. L. I. c. 16. Sed nollem heic aliquid definire, cum & aliae ejus nominis urbes fuere inclutae, interque eas Heliogabali patria, in Syria prope Orontis & Marfyae confluentem collocata.

§. 11. Nec hic nominum modus. Nam & ab Agrippa in honorem Neronis NERONIADA dictam Josephus perhibet A. J. L. XX. c. 8. *Κατα τούτων δε τον καιρον ο βασιλευς Αγραππης μεζονα την Φιλίππυ καλημενην Καισαρειαν κατασκευασας εις την τε Νερωνιαν ημην, ΝΕΡΩΝΙΑΔΑ, προσηγορευσεν.* Praeterea Andronicus Senior, cujus expositio Codino Curopalatae adjecta est *ΤΟΝΟΠΥΡΡΟΝ* dictam suo tempore scribit: *Καισαρεια Φιλίππυ η ΤΟΝΟΠΥΡΡΟΣ η αυτη και Παναμας εστο τε εικει ορος Παναμας.* Quam vocem conflata ex antiquo Dan & *πυργος* suspicatur Relandus. EUGESIPPUS in libello de *distantiis locorum terrae S.* quem *συμμικτης* suis immiscuit L. Allatius p. 107. hoc habet. *Ad radicem Libani civitas Paneas sita est, id est, HELYMAS, quae est Caesarea Philippi.* Dictane ergo Paneas quoque est HELYMAS? Non dixerim; quin non displicet conjectura Relandi, Praeceptoris mei, qui id vocis ex BELINAS, quam appellationem posteriori aetate urbi imposuerunt Saraceni, corruptum esse conjicit.

§. 12. Et de hac denominatione verbum addendum est. Jam suo tempore annotavit Ammianus Marcellinus hist. L. XIV. nomina Graecorum & Romanorum non placuisse harum regio-

num incolis, & ea hinc frequenter immutasse. Idem accidit huic quoque loco, cui pristini nominis vix vestigiis servatis, imposuere nomen aliud. Benjamin in itinerario p. 54. scribit: וּמְשֵׁם יוֹדָן *Et veni uno die BELINAS, quae est Dan: Wilbelmus Tyrius Paneoda vulgari appellatione BELINAS dici notat in hist. L. XV. c. 9. Quod etiam fit à Baldrico & Jacobo de Vitriaco belli sacri scriptoribus. Bartholomaeus de Saligniaco in itinerario S. Scripturae vocat VELENAS, quomodo hodieum a Mauris vocari refert Cotovicus in itiner. L. III. c. 9. quod & ab aliis fit mutata litera B in V. quod valde esse pervulgatum (a) alibi copiose docuimus. Brocardus vocat BELLENAM. Quin & hodie appellari BELINAM testatur la Roque in excitata ejus montis Libani descriptione. Ita etiam scripsisse videtur Scherif Ibn Idris, vulgo Geographus Nubiensis, quando inter alias Phoenices & Palaestinae urbes commemorat بَلِينَس, quod Gabriel Sionita reddit *Baneas*, sive *Paneas*, quanquam Relandus dubitat, num ibi nostra Paneas intelligenda sit. Illi etiam videtur hoc nomen ortum ex affinitate literarum Ebraicarum in בְּלִינָס & בְּלִינָס in Baneas & Belinas, id quod suo loco relinquimus. Habemus itaque has diversas urbis hujus denominationes. *Dan, Leschem Dan, Leseden, Laïsch, Λαϊσσα, Caesarea, Caesarea Philippi, Caesarea Paneas, vel Paniae, Philippopolis, Paneas vel Πανιας, vel Παναγιας, Πανιοσς, Πα- νειας, Pamiias, Baneas, Neronias, Helymas, Tonopurgos, Belina, Velenae, Bellena*, quae tamen omnes ad octo vel novem classes diversa pronuntiatione & scriptione variatas reduci possunt commode.*

§. 13. Praeter haec ei alia nomina errantium scriptorum calamo afficta fuere. Eugenius Rogerius, qui a. 1646. Palaestinam perlustravit, & cujus itinerarium impressum est a. 1636. L. I. c. 10. *Cette ville du Cefaree est surnommée PHILIPPINE — elle estoit appellée anciennement BATHAMPTA, mais ce nom lui fut oté par Philippe fils d' Herodes &c. ce n'est plus, qu'un village.* Augustinus LUBINUS, Geographus regis Galliae in indice Geographico annexo Annalibus Usserii, Pancadem hanc vult quoque Diospolim esse nominatam. Sed id sane sine fide digni scriptoris suffragio. Scio illius nominis urbes fuisse in Aegypto, Phrygia, Palaestina, quae alias Lydda

(a) Vide *Biblioth. nostrae* Cl. V. fasc. 3. p. 488 sqq.

Lydda dicebatur, sed Pancadem ita dictam nusquam legi. Nec minus fallitur Bellonius, quando in Observ. L. II. c. 9<sup>a</sup>, hanc Pancadem cum Balbeck, (a) quae veterum est Heliopolis, confundit. Neque capere possum, quid G. POSTELLO (b) in mentem venerit, quando in Syria sua adnotat hanc urbem ab Evangelistis MAGGEDAN & DALMANATHAM nominari. Neque enim Makkedae mentio fit apud Evangelistas. Dalmanathae solus meminit Marcus VIII. 10. Neutri aliquid cum Pancade commune est. Illa enim urbs fuit Judaeae, haec non longe aberat à mari Tiberiadis prope Magdalam trans Jordanem. Sed haec ad illius narrationis de statua Pancadenſi feriem & circumſtantias in luce ponendum, ſufficiant.

CAPITIS *Secundi*,

in quo, quid de VERITATE illius narrationis ſentiendum ſit, exponitur,

ARGUMENTUM.

ORDO tractandorum. Quid de hac hiſtoria ſentiant Lutherani, §. 1. Pontificii, Reformati, §. 2. Nihil (A) haec hiſtoria juvat uſum hiſtoricum imaginum in templis, multo minus earum cultum. Nam (1) mulier exempli loco nobis non eſt propoſita. §. 3. Legitur (2) illa Chriſti honoribus ſignum poſuiſſe, non adorari, §. 4. Neque (3) ex ſtatua, qua mulier coram Chriſto proſtrata cernitur, inferre licet, aeneam Chriſti ſtatuum adorandam. §. 5. Sed (B) illa ſtatua non poſita eſt à muliere. Nam (1) non *potuit* ponere, quod ad eam magni ſuntus requirerentur. Erat autem paupercula, quod ex Marco & Luca oſtenditur. §. 6. Olearii objectiones. §. 7. *Ta paig' iawrus pavna*, & *olos o' bios* quid notent? *bios* ſignificat omnis generis bona. §. 8. nec *voluit*, quod (2) ex Judaeorum gente erat, §. 9. quibus imaginum ſtatuarumque uſus erat abominationi. §. 10. Porro (3) quia Judaei, qui nullo modo vel Herodis *avaytara*, vel Caefarum ſtatuas pati voluerunt, id non ſiſſent. §. 11. Et (4) ſi vel poſuiſſet, non tamen illaeſam eam ſiſſent, vel *Judaei*, inque iis Philippus Tetrarcha. §. 12. Vel *gentiles*, (5) atrociffime in res Chriſtianorum ſaevientes. §. 13. Accedit (6) ſilentium Euangeliftarum. §. 14. Omnium (7) Patrum ante Eufebium. §. 15. Ipſe (8) Eufebius dubitanter loquitur. §. 16. Tot alii (9) Scriptores vel ſilent, vel haecianter eam rem memorant. §. 17. Nihilominus (C) talis ſtatua Caefarea Philippi fuit. Quod probatur ex Eufebii narratione, quem in hac cauſa non ſefellerunt alii, qui alios fallere nec voluit, nec potuit. §. 18. Objectioni occurrit. §. 19. Quid de miraculoſa, quae ſtatuae ei accreverit, herba ſentiendum. §. 20.

§. 1.

- (a) A Bellonio in errorem abreptus eſt quoque *Monconſus* in Itiner. p. m. 346.  
 (b) Sequor teſtimonium Abr. Ortelii in ſynonym, Geogr. p. 72. Iſtum enim Poſtelli librum non vidi.

**V**idimus rei gestae *historiam*, nunc pergendum, &, quid ei tribuendum sit fidei, dispiciendum. In quo tractando argumento ita versabimur, ut PRIMO (A) postquam quid diversarum partium Theologis de ista re opinionis tribus verbis indicaverimus, nihil inde praesidii accedere ulli *ὑποθέσει* suae *δέλεουσι* ostendamus. PORRO (B) nullam ab illa à DOMINO sanata femina ei apud Pancadenses constitutam fuisse statuam evincemus. Nihilominus tamen (C) statuam talem qualem Eusebius descripsit, in urbe illa reapse olim exstitisse TERTIO loco afferemus; Quod ubi hoc capite praestitum fuerit, sequenti, qualis illa fuerit, & cui originem suam debeat, ULTIMO LOCO investigabitur. Videlicet, ita ut fieri solet, non idem de illa omnes sentiunt. Sunt, qui omnia, quae de iis narrata sunt, avidi arripiunt, alii ampliandum censent, nec desunt, quibus omnis res suspecta, & fabulis effictis adscribenda esse videtur. Viri eximii, qui res gestas in ecclesia *centuriis* suis distributas exposuerunt, ita rem narrant, ut de ea non dubitasse videantur. (a) Martinus CHEMNITIUS, sui coetus non postremum incrementum, quando historia illius mulieris in Evangeliorum harmonia ei tractanda erat illius quidem monumenti haud meminit, at in examine Concilii Tridentini P. IV. p. m. 45. de illo agit pluribus, quin & imaginum historicum usum inde stabilire satagit, quod Apostoli in locis illis viventes, docentesque eam statuam, neque reprehenderunt, neque deiecerunt. Monet porro illam Deo haud damnatam fuisse, id indicare herbam illam *ἀλεξίφαρμακον*. Imo addit inde absque dubio desumptas fuisse descriptiones staturae, lineamentorum, & habitus, quibus Christum & Apostolos deinde expresserunt. Ita porro statuunt plerique ex eodem coetu, cujus rei causam unusquisque subodorari ex facili potest. Thomas tamen ITTIGIUS, Lipsiensis Academiae lumen illam historiam *falsitatis suspitione non cavere* fatetur. (b) Sicut de illa pariter dubitasse visus est Joh. REISKIUS in exercitationibus varia doctrina refertis de *Imaginibus Christi* Lib. IV. c. 2. una cum J. Fr. GLATZIO, cujus de hoc

(a) Vide Cent. III, c. 13. & IV. c. 13.

(b) In hist. eccl. sec. I. c. IV. §. II. 12.

hoc argumento diatriben supra allegavimus. Haud ita pridem tamen, quem antea laudavi, Godofr. OLEARIUS historiam illam novis suffulcire tibicinibus conatus est in suis ad Matth. observationibus C. XXXI. §. 10.

§. 2. Neque ullum scio ex Latinorum grege, qui illam in dubium vocare sustinuerit. Ex adverso pro eo pugnans C. Baronius, Paulus Aringhius, Herib. Rosweidus (a) Sever. BINIUS, & nuper adeo Natalis ALEXANDER Hist. Eccl. sec. VIII. dissert. 6. §. 2. T. V. p. 765. alii. Contrario autem instituto incedunt nostrae confessionis Socii, qui de illa sibi ambigendum esse non solum, sed id illud *σημειον* de *βυρρα* suo deturbandum, confringendumque esse, prorsus tamen alio instituto, quam id olim à Juliano factum legitur, existimarunt. Isaacus CASAUBONUS se istud factum accurate expendisse ad a. Christi 57. in Exerc. XIII. c. 38. contra Baronium scribit, cum autem ejus commentationes ultra A. C. XXXIV. non procedant, quid in hanc rem attulerit, ignoratur. In quorum numero Jac. CAPPELLUS, Jo. DALLAEUS, Jo. HOORN-BEECKIUS, SUERIUS, R. MONTACUTIUS, Jac. BASNAGIUS, SPANHEMIUS recensendi in primis sunt. Eximendi tamen ex illis Christophorus Pezelius, nostras in examine Catechismi Jesuitici p. 208. Dan. Chamierus in panstr. Cath. T. II. L. XXI. c. 6. §. 16. & L. XXII. c. 8. §. 7 fqq. Johannes FORBESIUS in instr. hist. Theologicis L. VII. c. 8. & Rodolphus HOSPINIUS. (b) de *templis* L. II. c. 10. concedentes quidem mulierem Christianam curasse eam fieri, verum ex vana quadam & gentili superstitione.

§. 3. Si id, quod verum est, fatendum, sive tale monumentum Christi honori femina Paneadenfis excitavit, sive omnis

C illa

(a) Fecit id hic in primis in libro, cui titulum fecit: *Legis talionis XII. tabularum C. Baronio ab Isaaco Casaubono diſſae retaliante Heriberto Rosweido*, edito Antverpiae, 1614. Cum autem Jac. Cappellus vindicias If. Casauboni Francofurti a. 1619. vulgasset, eodem anno Rosweidus *Anti-Cappellum*, & cum hic statim *assensionem bonae fidei* publicasset, anno sequenti 1620. illi *syllabum malae fidei Cappellianae* apposuit. In his a Cappello in dubium vocatam hanc historiam tueri omni opum vi voluit Jesuita, Argumentum ejus *ex auro* exhibet vir doctus Glattzius in *diff. cit.* c. I. §. 3 fqq.

(b) Jo. REISKIUS & qui illum secutus est G. Olearius l. c. allegant Hospiniani L. X. de *imagg.* sed ille decem quidem de Imaginibus capita libro, secundo de *templis* inseruit, singulares autem de illis libros non conscripsit.

illa Eusebii narratio putidis accensenda est fabellis, perinde est, neque ulli parti inde aliquid vel seritur vel metitur. Nulla controversia est, num liceat res, quae contigisse narrantur in historia sacra, imaginibus vel pictis vel sculptis exprimere. Si cui autem inde usum imaginum in templis adstructum ire lubuerit, (a) ut rudiorum sint libelli, eum velim meminisse, heic sermonem esse de statua, non in TEMPLO vel sacrario, sed in publico urbis loco, in propatulo sub dio collocata, ut nihil ex hoc saltim loco, eum, quod adjuvet, peti possit. Verum enim vero ex pumice facilius aquam elicies, quam ex illa historia aliquid praesidii pro imaginum, statuarum, aut reliquiarum religioso cultu, quod tamen ab illis fit, qui Romanae ecclesiae instituta sequuntur. Pone (1) mulierem illam illud signum posuisse. Quod itaque illa fecit, illudne exempli loco, quod omnes posterioris aetatis homines initentur, habendum erit? *Si ergo illa mulier foeminei sexus facilitate & quadam animi levitate percepto sanitatis beneficio, aut etiam superstitione imaginem erexit, quis tam vecors praeceptis sacrae fidei charisimatibus, imaginem eriget, eamque adorabit? & si illa mundo, nec dum ab idolorum cultibus liberato visis mortuorum quorundam hominum in urbibus statuis ob quorundam rerum memoriam sive cultum erectis, similiter prout voluit, agere studuit, quis sanae mentis ejus actibus adsensum praebebit, & Dominum non in manu factis, sed in coelo vel potius ubique esse credens, talia agere curabit. Aut si forte illa superstitioso ritu habuit zelum Dei, sed non secundum scientiam, quis catholicis in fide roboratus ex ejus actibus in hac parte exempla sumet, hisque similia faciet?* Haec verba sunt CAROLI M. aut ejus, cujus sub Carolo M. nomine extant libri de imaginibus L. IV. cap. 15.

§. 4. Sed (2) sint illa mulier quaeque illa fecit, nobis exempli loco. Ecquid autem illa fertur egisse? Ajunt Christo, quem oculis suis viderat, quem vivum tetigerat, quem SALUTAREM sibi medicum, idque mirifico atque humanas vires longe transcendente modo experta erat, NUMINI MAJESTATIQUE EJUS DEVOTAM ex aere monumentum posuisse. At ubinam gentium legimus eam illam statuam adorasse, vel coram ea cernuam fuisse pro-

(a) Ut olim factum est ab Epiphano Sardiniensi in Synodo Nicaena II. qui hac historia eum tantum in finem utitur, ut inde τῶν πασην τῶν εἰκόνων in ecclesia stabiliat.

prostratam, vel in publicis processionibus circumtulisse, vel ullo cultu vel λατρειας vel δεισιωνος profecutam fuisse? (a) Faciant itaque, cum quibus res nobis est, quod illa dicitur, femina fecisse. Id condonabitur fortassis & tolerabitur. At enim vero, quae illa neque fecit, neque, quorum, ut ea faceret, ei in mentem venerunt, in exemplum, quod imitentur, trahere desinant. Sane Eusebius discrete scribit id non factum ex quadam consuetudine, aut constitutione ecclesiae, sed ex συνηθειαι εθνικη, more gentili, quo benefactores suos eum in modum honorare consueverant. Agobardus, Lugdunensium Archiepiscopus, jam saeculo nono l. c. scripsit; *imaginem illam Domini ob amorem potius & recordationem, quam ob religionis honorem, aut aliquam venerationem more gentiliū expressam, vel conservatam fuisse.* Neque Christiani aliter illud signum considerarunt, quam aliquod τροπαιον της ευσεβειας, nuptiam, ut της προσκυνησης objectum, σεβοντες η προσκυνοντες ΟΥΔΑΜΩΣ, *NULLO MODO ILLUD COLENTES VEL ADORANTES*, ut diferta sunt Philostorgii verba, etiam addentis hanc apprimè notandam sententiam; *Ου γαρ ην θεμις χαλκην η αιδην υλην προσκυνειν; NEQUE ENIM FAS EST, AENEAM ALIAMVE MATERIAM ADORARE.* Rectè, pie, & ex sententia omnis antiquae ecclesiae!

§. 5. At vero (3) pergunt quidam, cum Eusebio teste in isthoc monumento conspecta fuerit figura mulieris coram statua Christi in genua procumbentis, hinc patere statuas Christi licere flexis venerari poplitibus; eumque ritum antiquissimum, & ipsius Salvatoris temporibus esse coevum. Sed quid est aëra rudibus batuere, si hoc non est? Equis enim infitietur dignum esse omnino Dominum, coram quo παν γονυ καμψη επουθενιων και επιγειων, και καταχθονιων. Quis neget pie & ut decebat, egisse feminam quam submississimis gestibus suam erga Christum tum viventem venerationem & cultum declarantem? Sed, noli sodes oblivisci, heic quaeri, non, num genibus Christi vivi liceat advolvi, neque, an liceat ex aere aliave materia exsculpere monumentum, quo & Christi, & alius hominis coram eo cernui exprimentur imagines? Sed id quaeritur? an liceat homini vivo & spiranti coram statua

C 2

Christi

(a) Nuper adhuc Nat. Alexander Hist. eccl. sec. VIII. p. 27. falsus est, non ea fini erectam esse illam statuum, ut coleretur.

Christi, non spirantis, nisi in aere vel saxo, more adorantium procumbere. Id, quisquis exemplo statuae aeneae haemorrhoidae tueri velit, is videat, ne omnibus, quibus non pepo pro corde est, videatur

*Vel STATUIS immobilior, vel durior AERE.*

§. 6. Ut dicam tamen, quod res est, nequidquam haec omnia disputantur. Tantum enim abest, ut ex historia nostrâ aliquid auxilii imaginum venerationi possit addi, ut illam a sanguinis profluvio ad sanitatem redactam mulierem aeneum illud *μνημειον* statuendum Sospitatori suo nunquam curavisse, persuasissimus sim, tametsi Eusebium a falsitatis crimine profus absolvendum, talemque, qualem ille exhibet, Pancadensem statuam, ibi revera conspicuam fuisse existimo. Atque haec nunc (B) explananda sunt uberius. Prius evictum iri puto, si ostendero liquido, neque eam mulierem tale monumentum excitare POTUISSE, neque VOLUISSE, neque si vel excitatum ab ea fuisset, ad aetatem usque Eusebii illud potuisse illaesum, intemeratumque conservari, quibus tum alia sanè non nullius momenti argumenta adjiciuntur. (I.) Non POTUISSE erigere ex eo puto manifestum esse, quod non exigui sumtus eam in rem deposcerentur. Tanta molis constructio, in qua & basis, & binae mulieris juxta & viri statuae conspiciebantur, sive illa solum aerea, ut Eusebius scribit, fuerit, sive aliquid argenti, aurique admixtum habuerit, haud leves sanè impensas exigit. Rara oppido exempla sunt columnarum unius hominis sumtibus erectarum. Fiebat id, ut plurimum ex stipe collatitia, sive, ut Plinii (a) verbis loquar, *unciaria stipe collata*? Ipse Augustus Medico *Antonio Musae, cujus opera ex ancipiti morbo convalescerat, statuam AERE COLLATO statuit*, teste in ejus vita Suetonio cap. 59. Hinc frequenter in vetustis inscriptionibus hanc phrasin legas, EX. AERE. CONLATO. vel AERE. CONLATO. Graeci vocant *ἔκ στήνταερας*. Illa porro Pancadensium statua collocata ante domus ejus fores dicitur. Ergo & domum habuit sitam non in postremo urbis loco. Oportuit itaque in lauta atque aucta re constitutam fuisse mulierem hanc, quae & aedes illas possidebat, & duplici illi statuae de suo ponendae sufficiebat; At enim

(a) Hist. Nat. L. XXXIV. c. V.



enim vero prorsus alium in modum eam nobis describunt, Evangeliorum scriptores. Marco audit *πολλὰ παιδείας ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν καὶ διαπαινησοσι* ΤΑ ΠΑΡ' ΕΑΥΤΗΣ ΠΑΝΤΑ; quae *multa perpessa esset a medicis*, & *impenderit OMNES FACULTATES SUAS*. Lucae autem vocatur *προσκυνῶσασσι* ΟΛΟΝ ΤΟΝ ΒΙΟΝ; quae *consumserit OMNE PECULIUM SUUM*. Ecquis autem eam, quae non aliquam bonorum suorum partem, sed OMNE peculium suum perdidit, tantis erogandis sumptibus parem fuisse persuadeat sibi?

§. 7. Utut autem hoc argumentum validum satis non paucis visum fuerit, labefactare tamen illud, ac disjicere de sede sua conatus est, quem laudavi, Godofredus OLEARIUS. Eum in finem *τα παρ' ἑαυτῆς πάντα* significare vult ea, quae ad manum ipsi erant, die bereitesten Mitteln/ nec inde sequi praedia, domos, aliaque ejus generis morbum absorpsisse. Eandem interpretationem pati phrasim Lucae, quando ait *ὅλον τον βιον* eam inpendisse. ΒΙΟΝ enim id esse, ex quo vivitur, non id, quod βιον, hoc est, vitae necessaria suppeditat. Addit praeterea, Gratiam Dei, quae Jobo restituit *ἕωτα πλοῦσι πάντα*, feminae quoque isti reddere potuisse rerum affluentiam? vel casus humanos successus, mortes, testamenta. Hinc addit *ex talibus velle argumentari, esse nodum in scirpo quaerere*. Verum mihi liceat salva, quam erga perinsignem hunc Virum gessi semper, observantiâ, dicere, eum in modum ad argumenta illa respondere, hoc esse nodum non solvere, sed secare. Potuere illi feminae opes deinde insolito casu adfluere, ergo etiam adfluxerunt. Quis ista responsione sibi satisfactum esse dixerit? Anne eadem ratione ac jure, id negari poterit, quo affirmatur? Porro *τα παρ' ἑαυτῆς πάντα* notare tantum ea, quae ad manus erant, asseritur; sed asseritur tantum, non probatur, vel unico exemplo

§. 8. Certe, quidquid illa possederat, consumtum fuisse phrasēs docent, quae non solum *τα παρ' ἑαυτῆς*, aut βιον, sed ΠΑΝΤΑ *τα παρ' ἑαυτῆς*, & ΟΛΟΝ τον βιον in medicos impensum esse enarrant. Concedamus τον βιον aliquando, non tam *της ζωης την περιουσιαν*, quam *της προς το ζην συντελειωσας τροφας* denotare, quod non solum docet Tzetzes, Hesiodi scholialtes, quem excitavit Olearius, sed & Euripides glossator in Hec. vi. 12. qui ibi quinque vocis τῶ βιῶ significaciones habet. Est etiam locus apud Polybium, in quo

ὁ βιⲟⲩ fumitur pro mobilibus possessionibus, & distinguuntur à fundis quem jam V. C. G. *Raphelius* in annot. ad N. T. ex Polybio pag. 146. observavit. Haec quamquam ita sunt, dubito tamen, num heic loci id usu veniat. Neque enim mentio fit τῆ βιῆ, sed ὄΛΟΥ ΤΟΥ ΒΙΟΥ; quid autem ὀλⲟⲩ ὁ βιⲟⲩ sit, edocemur apud Marcum XII. 44. ubi de vidua, quae duos obolos in aerarium conjecerat, Servator testatur, quod ἐκ τῆς ὑσερησεως αὐτῆς ΠΑΝΤΑ ὍΣΑ ἔΙΧΕΝ ἔβαλεν, ὍΛΟΝ ΤΟΝ ΒΙΟΝ αὐτῆς, ubi videmus ὀλον τῶν βιον explicari per ΠΑΝΤΑ ὍΣΑ ἔΙΧΕΝ; omnia quae possederat. Quando itaque apud Lucam dicitur, τὴν γυνὴν ὄυσαν ἐν ῥυσει αἰματⲟⲩ, ut medicorum ope sublevaretur, consumsisse ὍΛΟΝ ΤΟΝ ΒΙΟΝ perinde est, ac si scripsisset, ΠΑΝΤΑ ὍΣΑ ἔΙΧΕΝ, omnes opes facultatesque suas. Praesertim cum ea maxime usitata, ac vulgaris vocis βιῆ sit significatio, ut facultates, bona, possessiones alicujus sine discrimine denotet. Hesy chius βιον explicat τὴν περιουσίαν. Julius Pollux L. VI. c. 48. synonyma facit ἕστιαν κληρον, ΚΑΗΣΙΝ, ΠΕΡΙΟΥΣΙΑΝ, ΠΑΟΥΤΟΝ, ΒΙΟΝ, ΧΡΗΜΑΤΑ, ἘΥΧΡΗΜΑΤΙΑΝ, κ. τ. λ. Quam plurimis exemplis id probatum ivit frater meus JACOBUS, in dissertatione ad Aristophanis Pluti VI. 24. quam ante hoc decennium publicae ventilationi in hoc Prytaneo exposuit §. 8. 9. 10. Conferri cum illis possunt, quae habet Vir Cl. Jac. ELSNERUS in Obs. ad N. T. p. 161. Addam unum alterumque neutri horum observatum; Menander in fragm. ed. Clerici pag. 209. n. 38.

Τὸν ἴδον δαπανῶντας ἀλογίως ΒΙΟΝ,  
Καλῶς ἀκροῖν ταχὺ ποιεῖ πάντας κακῶς;  
Qui imprudenter suas absunserunt opes  
Eos bene audire, continuo omnibus noxium est.

& rursus n. 39.

Δαμπρῶς γὰρ ἐνίοι ζῶσιν, οἷς χαλεπωτέρῳ  
Τὸν περιουσιαστικὸν πὶ τῷ φυλάξει ΒΙΟΝ.  
Splendide nonnulli vivunt, quibus difficilius  
Est facultates servare, quam acquirere.

Inde phrasis est aliquem καταλείπειν κληρονομον τῆ βιῆ, relinquere aliquem haeredem bonorum suorum. Eam habet Athenaeus L. XIII. c. 7. ubi de Sophocle ἀρχισπὴν ἠγάπησε τὴν ἑταίρην, καὶ τῆ βιῆ κληρονομοῦν κῆτελιπεν. Cum quo conferas Diogenem Laertium L. IX. c. 109. ubi

ubi de Timone ait, *filium* suum Xanthum *δαδοχον τῆ βίῃ κατελίπε*, quibus non solum artis suae, sed & bonorum successorem eum reliquisse indicatur. Haec consideranti non puto amplius ambiguum esse posse, cum mulier nostra dicitur impendisse *ἴαλον τον βιον*, significari eâ phrasi, quod omnibus facultatibus suis exhausta fuerit, ex quibus tantae moli excitandae eam profus fuisse imparem haud difficulter intelliges.

§. 9. Sed si quis ex eo statu, in quo mulier illa fuit, quando mirificam Servatoris in suae valetudinis restitutione vim experiebatur, non argumentandum esse putaverit de illo statu, in quem deinde singulari Dei providentia redacta fortassis est, eum aliud argumentationis genus, quod sane priori non debilius est, attendere velim, quo si vel potuisset, (II.) *NOLUISSE* tamen id facere evincetur. Scilicet illam fuisse ortam Judaico sanguine, cum quàm maxima verisimilitudine conjunctum est. Ne enim nunc eam, illam inter Judaeos vixisse, & in Judaeorum urbe mirifico illo à Christo affectam fuisse beneficio ipse Christus eam *FILIAM* nominat Matth. IX. 22. Marc. V. 34. Luc. VIII. 48. Ea appellatio autem dabatur Judaeis, non Gentilibus, quos Canum loco in oppositione ad liberos habere solebant, uti clarissime patet ex Matth. XV. 26. Marc. VII. 27, 28. Praeterea in more positum est sacris scriptoribus, ut quoties Christus auxiliatrices manus praebuit ethnicis, quod factum est perraro, non enim erat *ἀπεταλμεν ἢ μὴ ἐς τα προβατα τα ἀπολωλοτα οἰκῆ Ἰσραηλ*, ut ipse apud Matth. XV. 24. loquitur, id tanquam insolitum aliquod & memorabile facinus, accurate notent, ut patet ex historia Centurionis & Syro-phoenisae. Tale autem aliquid à nullo Euangelistarum, etsi tres ipsam historiam copiose satis tradiderunt, de hac femina monitum est. Denique ea perpendentes, quae de fide illius, quae per insignia sunt, enarrantur, perquam probabilem in modum colligitur eam Judaeorum genti adscriptam fuisse.

§. 10. Porro observemus, nihil magis à Judaeorum ritibus abhorruisse, quàm imaginum statuarumque usum, quae opinio fundata videbatur lege divinâ passim exstante. Saltem temporibus Christi eas summae omni populo fuisse execrationi, & nimis disertis nititur Josephi, aliorumque coevorum scriptorum testimoniis, &

& ipsis pariter rerum, quae publice contigerunt, circumstantiis, quam ut ullo colore negari queat. *Εικονων ποιησιν απαγορευει ημιν ο νομος*, inquit Josephus Arch. L. XVIII. c. 4. Et iterum *αλ. L. II. c. VIII.* apud eundem Hierosolymitani dicunt de legibus suis; *εδεν αξιουσιν εν τη πολει δεικηλον ηθεδξ; neutiquam permittunt in urbe imaginem ullam poni*, & porro cap. IX. Petronio respondent ex legibus patriis; *εδε θεσ τι δεικηλον, εχ οπως ΑΝΔΡΟΣ, ε κατω τον ναον μονον, αλ' εδε εν εικαφ ηνι πορφ θειδου θεμιτων, non Dei simulacrum, nedum hominis non solum in templo, sed nec in prophano aliquo loco sibi collocare fas esse*; Hinc Tacitus hist. L. V. c. 5. de Judaeis, *NULLA SIMULACRA URBIBUS SUIIS, nedum templis sunt. Non Regibus HAEC ADULATIO, non Caesaribus honor.* Imo, ne illis quidem, qui talia fabricarent, apud eos domicilium concessum. Audiamus Originem, diu in Palaestina inter Judaeos versatum, qui libro quarto contra Celsum p. m. 181. ita scribit; Apud Judaeos *εδεις τις εικονας πινυτων επιλιτευετο' ετε γαρ ζωγραφου, ετ' αγαλματοποιου εν τη πολιτεια αυτων ην, ενβαλλοντου παντας τις ποιητες απ' αοτης τε νομου, Nullus imagines faciens inter illos commorabatur, nullus pictor, nullus STATUARIUS, proscribente illos omnes ex iis illorum lege, cujus rei rationem hanc reddit, ινα μηδεμια προφασις η τις των αγαλματων κατασκευης της ανοητης των ανθρωπων επισωμενης και καθελικνης δοπο τε θεσ εις την της οφθαλμου της ψυχης.* Quibus quid nervosius, clariusque in hanc causam dici queat, non video. Posteriores Judaei, tametsi imagines bestiarum, aliorumque animalium fingere quondam licitum judicant, *HOMINUM* tamen diserte excipiunt, observante illud ex Maim. tract. *עבורה הרי* cap. 3. Mosis Kotzensis praec. negat. 22. ex Gem. Babyl. ad tit. *י"ג* cap. 3. fol. 42, 43. Jo. SELDENO de Jure N. & G. L. II. c. 6. Imo si vel in nummis, aut alia occasione tolerarint imagines, pietas atque incisas, in quibus erat figura *שקיעה*, i. e. depressa abhorruerant tamen prorsus ab iis in quibus erat *בורשת צורה* effigies prominens; Unde patet statuarum usum apud eos plene exulasse. (a) Quem morem etiamnum constanter apud hodiernos Graecos retineri, qui illorum ritus annotarunt, testantur. Claudam hoc argumentum verbis doctissimi quondam Viri, & mei in Academia Lugdu-

(a) Confer sis, quae de Judaeorum erga imagines odio notavi in libro de *ενολατρευει* illis afficta c. II, §. 3.

Lugdunenſi ante hos viginti annos Doctōris Jac. *TRIGLANDII*, quae in diſſ. de Karacis c. X. p. 177. habet, ubi, cum de Judaeorum erga imagines odio diſſeruiſſet, eum in modum p̄rgit; *Unde eluceſcit, cum illa mulier ἀποφωσσε à Matthaeo ut JUDAEA inter Judaeos inducatur, nullibi apud ullum Euangelistam ethnicae originis aut religionis, sed contra fidei indicio, quam genio gentis, consuetudini temporum, religionis Judaicae principiis adversetur incerta illa narratio apud Eusebium, quasi statuae suo Servatori pro gratiarum actione ipsa erexerit. Dumque Eusebii gentili consuetudine factum asserit, annou ipse satis id insolens & displiciturum Judaeis confitetur, suaeque adeo vineta caedit, unde enim piae & credenti feminae consilium erigenda statua imitandi morem Gentilium, cum statuas per patrias leges didicerat ab unguiculis detestari. Quae cum egregie ea, quae à me disputata sunt, confirmant, heic loci legi volui.*

§. II. Fac autem (III.) id ab illa muliere potuisse fieri, & id illam voluisse facere, non tamen id siviſſent alii. Ecquis enim rerum Judaicarum usque adeo ignarus est, ut nesciat Judaeos quidvis potius, quam signum aliquod in templo, vel ipsius Caesaris in urbibus suis statuas, pati voluisse, quantumcunque inde motuum, turbarumque saepe concitatum sit. Quando Herodes ausus erat Aquilam auream ingentis ponderis majori templi portae super imponere, armata Juvenum manus claro meridie illam aufert; & securibus in frustra conscindit, magna hominum multitudine inspectante. Accurrente duce regio, eos ut diſſiparet, capiuntur eorum quadraginta, qui ad regem adducti, maluerunt ad unum omnes infelicibus ustulari flammis, quam se vel paenitudine rei gestae duci, vel quidquam, quod non ex legibus patriis oportuisset fieri, factum à se confiteri, narrante id Josepho Lib. XVII. c. 8. Cum enim Pilatus nocte intempeſtâ imagines Caesaris in urbem Hierosolymam intuliſſet non solum ex urbe, sed & circumjacentibus agris ingens confluxus fit, Pilatum adeunt, proni circa domum ejus concidunt, & eo situ immobiles per quinque continuos dies noctesque perseverant. Pilato in eos armatas cohortes immittente, & comminante, trucidandos esse omnes, ni Caesaris statuas susciperent, Judaei quasi ex compacto omnes corruunt, certas vicesque nudatas praebent nudatis militum ensibus, vociferantes

D

se

se interfici malle, quam legem violare, referente haec Josepho Ant. Jud. L. XVIII. c. 4. & de B. J. L. VI. c. 8. Idem sequenti capite enarrat à C. Caligula Petronium cum tribus legionibus ad Judaeos missum, cum mandato, ut statuas suas quacunque ratione in templo collocaret, at frustra; quod Judaei maxima multitudine confluentes aperte declararent, se malle cum mulieribus, parvulisque jugulos suos carnificibus discindendos praebere, quam ea in re morem illi gerere. Et fuisset sane ad arma ventum, nisi Agrippa rex id suis apud Cajum impetrasset precibus, ut ab illo consilio desisteret. Cum itaque tanta, tamque incredibili pervicacia, dicam an furore ab omni statuarum in urbibus suis usu abhorruerint Judaei, quum id legibus suis patriis adversa fronte repugnare persuasi essent, cum ne quidem illarum fabricum inter suos passi sint, cum acerba omnia, atque ipsas dirissimas neces maluerint sustinere, quam ut vel Caesaris signis sua intra moenia locum concederent, putasne fieri potuisse, ut mulieri illi Judaico ortae genere vel in mentem veniret, talis monumenti, in quo binae hominum essent imagines, in publico urbis loco erectio? Sed, pone fuisse *ἑθνικῆς* rituumque Judaicorum ignaram, tu vero existimas, si vel tale facinus machinata esset, id Judaeos, urbis incolas, aequo animo fuisse unquam laturos, aut sibi temperaturos, quin, ubi excitari incepisset moles, eam confestim disjicerent, disturbarent, comminuerent. Judaei Regis sui *ἀγαλμα*, & statuam honoribus CAESARIS, rerum potiuntis destinata frustra nitente, rogante, mandante, comminante Praeside cum fortunarum suarum omnium, & vitae discrimine, erigi renunt, illi vero siviissent impune mulierculam publice in urbe media statuas binas memoriae JESU CHRISTI, capitalis hostis sui, quem infami dirissimoque crucis supplicio dignum omnino deputarunt, dare, dicare, consecrare? Quis id ut credat, animum inducet? Hoc certe argumentum tanti roboris esse judico, ut, vel si unicum esset, rem omnem solum conficere, & si quid alias exceptionum proferretur, diffilare profus uno halitu posse videatur.

§. 12. Quod si tamen perrexeris; & clam & in seclis civibus suis illud *μνημείον* mulierem hanc Christo faciendum atque erigendum curasse, velis asserere, sane implacabile (IV.) odium, quo sibi

sibi contra omnium statuarum usum flagrandum esse credebatur. natio Judaica, facit profecto, ut persuasissimus sim, nunquam futurum, ut illam, si vel erecta stetit, non dicam per tres annorum centenarios, ut fieri debuisset, si narratio illa vera foret, sed nec vel per trium annorum, imo nec vel totidem dierum spatia illa esset, atque integram conservari, fuissent passi. Sane id non sivillet Philippus, Tetrarcha, urbis Dominus, rituum patriorum, si quis alius, tenacissimus. Non Judaei reliqui, capitis potius sui ac fortunarum omnium iacturam subituri, quam ut tantum, tamque insignitum, ut putabant, dedecus intra moenia sua proflare sine-  
rent.

§. 13. Idem omnino etiam (V.) credendum est de reliquis gentibus, quae neque Judaeorum, neque Christianorum sacris erant imbutae. Neque enim quisquam facile rerum in ecclesiarum tam inscius est, ut quam atrociter ab iis, quos paganos vocabant, in nomen Christi, resque Christianorum omnes saevitum sit, eum praeterire possit. Non tango nunc reliquas, quas ecclesia Christi sustinendas habuit per tria saecula afflictiones, easque saevissimas, ponamus nobis tantum ob oculos postremam illam, eamque omnium crudelissimam, quam instigante Galerio Maximiniano inchoavit, perque integram decem annorum seriem continuavit Diocletianus, prout illam nobis Lactantius, atque Eusebius noster, uterque *συγγεγραμμενος* atque oculatus testis, victuris chartis commendaverunt. Videmus heic exquisitissimis suppliciis viros sanctimoniâ, virtute, & dignitatibus conspicuos excruciatos, in eos ferro, igni, culeis, eculeis, gladiis, candenti ferro, grassatum, oratoria & templa solo aequata, vasa omnia, lampades, lintea, vestes, mensas, omnem adeo sacram suppellectilem, ne codicibus quidem exceptis investigata acerrime, directa avide, flammis deleta crudeliter, tantamque cladem, perniciemque tantam rebus Christianorum infligam, ut eas ex imis radicibus evulsas, deletasque sibi blandirentur, erectis eam in rem monumentis publicis, quibus & vel **NOMEN CHRISTIANORUM DELETUM, & SUPERSTITIONEM CHRISTI, UBIQUE DELETAM DEORUM CULTU PROPAGATO** vano non minus, quam auctori ausu iactabant, Tanta illorum in Christianos cum fuerit ra-  
D 3 bics,

bies, tam pertinax eos excindendi studium, cum tot saeculis, tum maxime decem illis persecutionis Diocletianae annis, equis persuaferit sibi eos *vel* CHRISTO, capiti illorum ac duci, quo impulfore, utj Suetonii verbis utar, tumultuosos credebant, tantum honorem, qualis erat statuae in publico urbis loco erectio imperatoribus suis ac heroibus de re publica praeclarissime meritis non semper exhibitum, vel concedere, vel illi, utut alii concesserint, per tot saecula illibatam tueri vel voluisse vel potuisse? Quis credat columnas, publicos divinitatis Christi, ejusque miraculorum praecones laudes ejus plenis, licet mutis, buccis enarrantes pati voluisse publicis in locis proflare, cum vix, de eo in cryptis & subterraneis locis musitare iis permetterent? Et, si quis existimet non in has regiones calamitatem illam id aetatis penetrasse, is meminerit, vel maxime Palaestinam furoribus gentilium tunc fuisse expositam, id quod abunde liber Eusebii de *martyribus Palaestinae* octavo historiae ejus sacrae libro vulgo adfutus evincit.

§. 14. Tameñi autem haec ejus generis sunt, ut sententiam nostram ex facili non nimis moroso persuadere possint, sunt tamen & alia, quae ad eandem adstruendam haud parum faciunt. Videlicet (VI.) TRES Evangelistae copiosa oratione sanationem illius feminae exposuerunt. Nemo tamen eorum tum vel urbis Caesareae, vel signi in ea excitati vel verbulo mentionem facit. Est autem haec res prae aliis illustris, omnium cognitioni obvia, Christi gloriae, illiusque feminae laudibus promovendis valde apta, adeoque tantum abest, ut ab Evangelistis, qui reliqua *περὶ αὐτῆς* tam curate recensuerunt, vel ignorari, vel silentio praetermitti debuerit, ut potius ab iis *memoranda* fuisset *novis annalibus*, atque *recenti historia*. Saepissime narrant, quando alii à Christo illustri quodam beneficio mactati animum illius memorem vel verbis declararunt. Hujus etiam exhibitam Sospitatori suo verecundiam, hujus insignem fidem praedicant. Illinc quoque inusitatae hujus gratitudinis insigne specimen narrassent, laudassentque, si tale edidisset? Cum autem ne *γὰρ* quidem de eo habeant, quidni tuto inde colligemus, nihil hujus de ea re iis fuisse, compertum, & si non compertum, nihil quoque tale contigisse.

§. 15. Accedit (VII.) silentium reliquorum scriptorum omnium,



omnium, qui plus quam per trium saeculorum orbem ante tempora Eusebii vixerunt. Non memoro Josephum in rebus sua aetate gestis satis luculentum scriptorem, qui & hujus Caesareae Philippi plus vice simplici meminit, & rerum à Christo gestarum. Nihil illius invenitur apud BARNABAM, POLYCARPUM, IRENAEUM. Nihil apud JUSTINUM Martyrem, qui in Palaestina diu commoratus est, quique adeo rem tam memorabilem ignorare poterat omnium minime, & qui, cum alius statuae perperam Simoni Majo tributae meminit, hanc si Christo dicata exstitisset, non videtur potuisse negligere. Scribit ille Apologiam pro Christo & Christianis. Nihil autem magis pro asserenda miraculorum à Christo patratorem veritate militare videri poterat, quam illud monumentum. Silet tamen de illo prorsus Sanctissimus Martyr. At cur silet? Num quod nihil de eo sciret? At nescire non potuit. Ecceur itaque? quod vel nihil de eo inaudiverat, vel ipse non crederet. Porro nihil ejus habet ORIGENES, qui Tyri, locisque in vicinis haud paucos annos habitavit, & quem ex adverso statuarum usum prorsus inter Judaeos exulasse confirmantem audivimus. Nihil denique apud THEOPHILUM Antiochenum, CLEMENTEM Alexandrinum, TERTULLIANUM, aliosque fortissimos causae Christianorum defensores atque apologistas, qui haud dubie rem tam memorabilem non silentio praeteriissent, qua vel sola miraculis DOMINI insignem, omnique paene exceptione majorem fidem conciliare quivissent.

§. 16. Ad tempora itaque Eusebii hoc monumentum ignoratum fuit, saltem à nemine commemoratum. Eusebius (VIII.) memorat quidem, sed ita commemorat, ut ipse fere, quidquid illius monumenti fuit, in CHRISTI fuisse positum honorem, dubitare videatur. Observatum enim est, eum, quoties his dicendi formulis utitur, λέγεται, ἔλεγον, λογίζεσθαι, similibusque, de rerum, quas narrat, veritate addubitare. Id autem, cum pariter in hac narratione accidat, quaenam ejus fuerit sententia colligere est proclive: Τουτον, inquit, τον ἀνδριαντα εἰκονα τῆς Χρῆστος φρασιν ἘΑΦΘΟΝ; *hanc statuam Jesu Christi speciem referre AJEBANT.* Nullum itaque argumentum, quo CHRISTI imaginem ibi exstitisse docere, adducit. Solo rumore vulgi, quem Quintilianus Declam. XVIII.

em sine teste, sine indice, rem ex incertis improbissimam, malignam, falsam, & similem silentio describit, & incerta, quae circumferrebantur, traditione omnia nituntur. Ne testis quidem ullus adducitur. Quantum autem ejusmodi narrationes fidei mereantur, ecquis non intelligit? Fama de illo Christi memoriae statuto *videantur* ad ejus quoque aures pervenerat. Refutare illam velle, id indicare potuisset animus, Christi honoribus minus faventem. Noverat Christiani esse, ea, quae ad Christi gloriam amplificandam facere possunt, saltem velle vera esse. Obversari ejus animo poterat illud Plinii Epist. L. IX, ep. 13. *Vera ne haec affirmare non ausim, interest tamen ut vera videantur.* Narrat itaque, quae hominum sermunculis perhibebantur, sed ita narrat, quasi sibi ipsi diffidens, ipsi lectori dubia moturus, ut vel ipsum magis de iis dubitasse, quam apud animum suum persuasum fuisse inde hariolere.

§. 17. Tametsi autem Eusebius omnium primus hanc historiam orbi exhibuit, non tamen omnibus veritatem illius persuasit. Haud exiguum quidem agmen est illorum, qui deinceps illius quoque injecerunt mentionem. Circiter duo supra viginti illius rei testes, qui per mille annorum tractus vixerunt, supra capitulum I. §. 3. exhibuimus. Poterunt fortasse plures esse. Sed fortassis tantum. Paucissimos saltem, & vix totidem, quot divitis ostia Nili, à me omissos credo, quod in iis investigandis operam haud tralatitiam posui. Rarissimi itaque sunt, & vix singulis annorum centenariis duos assignabis, illius historiae, qui meminerint. Quid vero horum erit numerus, quando eos cum innumerabili reliquorum ecclesiasticorum scriptorum agmine composueris, quibus sane, neque notitia rei, si contigisset, neque occasio defuit, eam commemorandi, quique id animo fecissent lubentissimo, quod ad laudem communis Domini pertinere omnino videretur. At vero silent illi omnes praeter pauculos memoratos, & tum silent, quando historiam Euangelicam commentariis suis illustrant, & quando Christi, ejusque actionum mirabilium causam agunt, & quando de ipsa illa muliere à Christo restituta, illis differendum erat ex instituto. Si à duobus tribusve discedas, reliqui non paucis post Eusebium saeculis vixerunt, & tum vixerunt, quando controversia de imaginibus faciendis jam in nervum eruperat, & ex

ex hac historia sibi pro illis aliquid nasci posse subsidii credebant. Immo, quod magis est, & hi loquuntur, non minus, ac Eusebius, de re omni timide & dubitanter. Incertus auctor Combesisii, *ως ελεγον*, & Carolus M. duobus locis haec repetens, addit, *si tamen factum esse credatur*. Nicephorus, quantuscumque etiam alias fabularum est architectus, hanc tamen historiam ex illarum numero habet, quae incolis solis ex vetusta traditione erat cognita; *μονοις ηκελευσθη τοις επιχωλοις εν της αρχηθεν περιοδοσως εγνωσμενα*. Quum itaque illa Haemorrhousa, tam *επισημον αγαλμα* statuere, neque *potuisset*, vel si *voluisset*, neque *voluit*, vel si *potuisset*, cum illud nunquam ei cives ejus Judaei permisissent, cum si vel semel illis insciis erecta fuisset, eam Ebraeorum juxta ac gentilium furores non sivilissent inconcussam, cum id factum & sacris scriptoribus & veteris ecclesiae Patribus vel ignoratum fuit, vel tacitum, cum ipse Eusebius de eo fluctuat, cum cum eo nutant ejus sequaces, cum denique tot alii Patres, quibus neque notitia rei, si facta, neque occasio eam commemorandi defuere, eam tamen silent, cum haec omnia ita sunt, quidni tuto inde inferamus, illam mulierem monumentum tale Christo faciendum, statuendumque apud Paneadenfes non curasse. (a) J. Q. E. O.

§. 18. Cave tamen ea propter Eusebium fallaciarum ac mendacii accuses. Quamquam Christo tale *μνημειον αιμορροουσα* non excitavit, tale tamen, quale Eusebius describit, in urbe Caesarea Philippi conspicuum fuit omnino. Atque hoc à nobis (C) tertio loco nunc paulo clarius ostendendum est. Scio quidem vetustae ecclesiae acta iis immerfa esse tenebris, ut, ubi tuto pedem figas, quid asseveres, quid neges saepe juxta scias eum ignarissimis, adeo, ut pensitatis narrationum ab utraque parte momentis tandem exclamandum sit, illud suae sapientiae opinione turgidis nimis

(a) Mirum itaque est his omnibus posthabitis etiam nunc non deesse eruditos in coetu Latinorum Viros, qui in alia omnia abeunt. Nuper id factum est à P. de Colonia, ex familia Jesuitarum, in libro alias bonae frugis pleno, quem vocat; *la religion Chrestienne autorisée par le témoignage des anciens auteurs Payens*, à Lyon, 1718. in 12. eumque secutus est de la Roque, l. c. T. I. p. 273. Destituit tamen Coloniensem memoria, quando Eusebium scribit, narrasse de Juliano &c. nota nihil ejus apud Julianum legi, & de Juliano haec scribere non potuisse, Eusebium, quem aetate tot annis praevortit,

mis molestum, NON LIQUET. Quando tamen historia refertur ab Auctore, non inepto, sed gravi, sed prudenti, sed fide digno; qui ratione temporis aequalis est; In quem nulla cadit fraudis suspicio, cujus fraus facillimo negotio potuisset in apricum produci, qui, quae oculis suis tuitus est, narrat, si porro ipsa historia à veritate non aliena, neque incredibilis est, si vel unicum horum occurrit, res, nisi quid obstet aliud, fit probabilis, si vero omnia haec simul quasi cumulo congesta adsunt, extra omnem dubitationis aleam ea quidem narratio collocanda videtur. Eum autem in modum se res haec habet. Refert eam Eusebius vir & dignitate, eaque episcopali, & sapientia, & auctoritate, (nam apud Imperatorem Constantinum magnum insigni gratia pollebat,) & doctrina florentissimus: Adjungo & illud; perinsignium in Ecclesiam meritorum, nam, sine eo si essemus, perparum nobis ex veteris ecclesiae gestis constaret. Saltim hominem insulsum fuisse, & fungum nemo unus dixerit. Praeterea eo adhuc tempore vivebat, scribebatque, quo signum illud in ipsa urbe Caesarensium exstabat, adeoque aetate aequalis erat. Res, quam narrabat, nihil admixtum habet absurditatis, vel a fide abhorrentis, qualis est talis in publico loco signi collocatio. Porro eam non uno alterove verbo innuit, sed omnibus variisque adjectis, quae circumstantibus rebus amplissime recensuit. Iple considerat rem memoratu valde dignam, quam praeterire ei intactam non liceat, tamquam διηγησιν και ποισ μεθ' ημας μνημονευουσα αξιοια. Non ex aliorum relationibus, non ex incerto rumore id hausit, sed ea refert, quae suis ipse oculis fuerat contemplatus. Ως και οψει παραλαβειν επιδημοσαντες αυτες τη πολει, sicut OCULIS NOSTRIS conspeximus, cum in urbe ea divertere-  
mur. Cum autem ex veteri verbo Comici; Plus sit unus oculatus testis, quam auriti decem, unicum ejus αντοπτε testimonium habendum est pluris, quam vel decem aliorum, qui fando tantum rem acceperunt. Praefertim, cum eum heic fallere voluisse alios credi non possit, neque, si vel voluerit, fallere potuisset. Neque enim inde ei aliquid accedere potuisset lucri, neque causae Christianorum auxilii. Expudoratae autem oporteret fuisse, atque erubescere nesciae frontis hominem EUSEBIUM, si illa finxisset, quod de tanto VIRO, ne cogitari quidem debet, Sane non sine summa ini-

iniquitate ejusmodi fallaciae viris intemeratorum morum tribuuntur. Unusquisque praesumitur esse bonus vir, donec contrarium ejus vivendi ratio manifestat. Cum autem nihil tale de Eusebio possit adfirmari, unusquisque videt, injuriam ei fieri, si fraudis arguatur. Si accusasse suffecerit, equis demum erit innocens?

§. 19. At ais, in ejus scriptis & aliae narrationes occurrunt, de quarum veritate, jure addubites; v. gr. quae perhibet de Abgaro, ejusque ad Christum exaratis literis, de cruce ab Helena reperta exaltataque, de vestigiis pedum Christi monti Oliveti impressis, de Petri cum Simone Mago certamine, de statua Simonis erecta & cultâ, aliisque id genus. Cujus igitur historia toties dubia deprehensa est, & fallax, annon illi & in hac causâ fides jure denegabitur. Sed pone isthaec omnia fabellis adscribenda esse, quod tamen non omnes persuasi sunt, non tamen ex illis narrationibus ad hanc statim argumentabere; Neque inde, quod ad credendum nimis aliquando pronus fuit Caesareae Episcopus, sequitur talem etiam in hac causâ fuisse. Non omnia fingunt Cretes, neque semper. Bonus quandoque Homerus dormitat, non tamen semper. At vero aliud est, quod volo. Scilicet fieri potuit, ut Eusebius, quae tot ante saeculis contigisse dicebantur, quaeque ex vulgari tantum traditione, aut relatione aliorum imbiberat, referret in literas, quae nunc, qui nasum habent, sublestae esse fideiolfaciunt. At plane alius generis illa est historia, quam nunc excutimus. Neque enim nunc quaeritur, an illud *α-γαλμα* tot jam retro saeculis ab illa muliere constitutum fuerit? Illam enim fabulam jam explodimus. Sed id anquiritur, an talis revera statua, qualem Eusebius apud Paneadenses sua aetate existisse commemorat, revera tum ibi exstiterit. Adeoque de re agitur, quae ad aetatem pertinebat Eusebii, quam non opus habuit cognoscere ex incertis aliorum rumoribus, sed quam ipsemet vivus suis pervidere oculis & potuit, & pervidit. In reliquis itaque rebus decipi potuit facile, non autem in hoc negotio omnium ad spectui exposito. Et, uti in eo fieri illi fraus ab aliis nequivit, ita nec alios in fraudem impellere POTUIT. Neque enim sermo est de re in latebris posita, & à conspectu hominum remota, sed illustri, in loco publico posita, omnium obvia contemplationibus,

E

quae,

quae, si non eo in loco, in quo fuisse narratur, fuisset, sane omnium ille se fannis, sibilisque exagitandum propinasset. Quae omnia profecto ejus generis sunt, ut iis consideratis confiteri cogamur, talem statuam, qualem Eusebius descripsit, ejus adhuc aetate Caesareae Philippi conspicuam fuisse. J. Q. E. D. Ne nunc de aliis illius pariter testibus loquamur.

§. 20. Neque solum illa imago fuit, sed & illi adcrefcere potuit herba, qualem Eusebium, magnoque numero alios illi accrevisse testantes supra Cap. I. §. 5. audivimus. Neque in eo quidquam fuit insoliti, aut quod fidem excedit, sed id ei contigit, eundem in modum, quo publicis monumentis ipsis adeo aedificiis, caesa antiquitate detritis simile aliquid accidere videmus quotidie; Vetus est Graecorum proverbium: *Αἰθρὸν κυλινδομενὸν το φουκὸν οὐ ποιεῖ. Saxum volutatum non obducitur musco.* Sed nobis haec ita convertere liceat: *Αἰθρὸν ἔ κυλινδομενὸν το φουκὸν εὐποιεῖ. Saxum haut volutatum facile musco circumlinitur*, videlicet, quae humidis in locis aëri exposita sunt, neque sede sua moventur, musco molli virentique contegi, atque gramine in notabilem aliquam altitudinem excrescente, vestiri solent. Cum itaque uliginoso in loco propter fontem urbis, sigillum illud tanto temporis tractu immobile persistisset, & hinc sensim, limo & pulvere obduceretur, utrumque hoc notantibus Philostorgio & Nicephoro, ex naturalibus causis non fieri non potuit, quin ex eo paulatim aliquid algae aut musci enascetur. Vera itaque exposuit Eusebius, etsi & ipse anceps dubiusque, cum ait herbam ibi ignotam in ipsa colossi basi crevisse, sed cum ille, & tot alii illi mirificam quandam morbos omne genus depellendi vim attribuunt, in eo mobilis vulgi opinionem secuti sunt. Illud enim cum semel in eam cogitationem ingressus erat, *μνημειον* illud tanquam *της ευεργησιας τροπαιον*, Christo, SALUTARI Deo, fuisse dicatum, ut error solet gignere errorem, & superstitione fabulas, quo majorem illi excitarent venerationem, inter illos, qui extra communionem ecclesiae Christianae positi erant, incredibilem illi adhaerere mendendi potestatem effinxerunt. Nam, ubi semel, verba sunt viri (a) docti, animos populares invasit magnifica rei cuiusdam aestimatio, si vel ex opinionibus tantum oriatur de ea mirum aliquid *ἔς cursus naturae*

(a) J. Reiskii in L. de Imagg. Christi p. 116.


naturae superius facillime sibi persuadent, cujus facilitatis in antiqua non solum historia, sed in vita etiam communi exempla passim sunt obvia. Proinde herbam ibi fortuito progeneratam vi pollere inusitata visum eis fuit, qui Jesu statuum ab haemorrhousa constitutam eo haberi loco crediderunt. Quod si enim vel unicus aeger antactu hujus ad sanitatem rediit, seu illud ex innata herbae potentia, quae saepius stupenda esse solet, seu forte fortuna fuerit factum; unus huiusmodi casus satis esse potuit ad hanc famam universo populo persuadendam. Et si itaque ἐπιελευσα sapit fabulam, non tamen inde sequitur, totum narrationis systema commentitiis adscribendum esse narratiunculis. Faciamus itaque, quod hominis cordati est, & vera à falsis, certa à dubiis fecernamus. Summa omnis huc redit. Haemorrhousa femina Christo Paneade non erexit statuum. Talis tamen, qualis scribit Eusebius, ibi revera existit; Quae de inusitata herbae vi adjunguntur, fabellis sunt accensenda. A quo autem illud signum constitutum fuerit, & qua fini, id, juvante Deo, propediem sequens dissertationis caput aperiet.

## TANTUM.

## Theses Respondentis Miscellaneae.

- I. **P**ER אור כשרים intelligimus illud castellum Ur in Mesopotamia non procul à Carris, de quo Amm. Marcell. L. XXXV. 26. כשרים enim primo nomen artis erat.
- II. Siquidem stricte sic dictos Chaldaeos demum à Cesed filio Nachoris dictos probabile est; ut ita nulla sit pugna inter Act. VII. 2. & 4.
- III. Linguam Hebraeam primigeniam & omnium matrem agnoscimus.
- IV. הורה in S. S. semper de summo honore Deo soli exhibendo usurpatur.
- V. Adamus eodem die, quo creatus, non est lapsus.
- VI. Gen. III. 14, 15. Deus poenam non serpenti, sed Diabolo minatur, & talem quidem, quae conveniret ei, qui serpentis exuviis tectus latebat.
- VII. Gen. III. 22. summum Numen non ironice loqui statuendum est, sed statum hominis ad imaginem Dei renovati depingere.
- VIII. Odii Aegyptiorum, quo in pastores incensi leguntur Gen. XLVI. 34. verissima ratio, quod tot animalia in Deorum numerum referebant, non quod vexati sunt à pastoribus illis, quos Hyefos vocat Manethos.

- IX. *Deus omnipotens est.*  
 X. *Multa tamen sunt, quae Deus ne facere posse quidem censendus est.*  
 XI. *Et, quod multa facere non potest, id summae eius perfectionis argumentum est.*  
 XII. *In loco Rom. VIII. 29 sqq. per τὴν κλῆσιν intelligimus coetum fidelium.*  
 XIII. *Formula Concordiae à Friderico II. Daniae rege in ignem coniecta est.*  
 XIV. *Friderici Electoris Saxoniae somnium, quod Suidnicae de Luthero habuisse fertur, fabulis accensimus.*  
 XV. *Exod. XXIII. 21. non Spiritus S. sed filius Dei innuitur.*  
 XVI. *Iustitia vindicativa Deo naturalis utique est.*  
 XVII. *Angelis solam mentem tribuimus.*  
 XVIII. *Propagationem animae humanae per traducem explodimus.*



**I**nnumeros steterat *Statua* inconcussa per annos  
*Panaedis*, fragili sed stabilita pede.  
 Hocque latens vitium non ulla notaverat aetas:  
 At quid non cernunt lumina acuta VIRI?  
 Cernit, & Heroico *Statuam* sic diruit ausu,  
 Ut talo solido postea ponat eam.  
 Protenus illa dedit raucum dejecta fragorem,  
 Quo late doctus concitus orbis erat.  
 Nec mora, ferratae concurrunt undique turbæ,  
 Hanc cladem gladiis impeditura feris.  
 Cuncta sed incassum: quoniam BRUNINGIUS obstat,  
 Pectore & adverso tela vibrata capit.  
 Dumque sua *statuam* turbatam sede tuetur,  
 Ipse stat immotus, nec nisi victor abit.  
 Victor abit, dum certa dedit documenta, quod olim  
 Laus sua sit *statuae* commeritura decus.

L. M. Q.

Petrus de Hase, SS. Th. St.  
 Leba - Bremensis.

**C**are Brüningiades, patriis spes inclyta Musis!  
 Inter cognatos fors mihi prima meos!

Non



Non monstrasse semel satis est, plaudente lyceo,  
 Ingenii dotes, ora diserta, tui.  
 Calcar at ulterius subdit tibi pectoris ardor,  
 Atque novos animos jam tua Musa capit.  
 Dum rursum impavidâ conscendis mente cathedram,  
 Et mirum docti verba tuere VIRI.  
 Siccine te monstrare cupis, cognate, paratum,  
 Quolibet ingenii promere signa modo?  
 Gratulor! & comitem se semper Jova *Davidi*  
 Præbeat! hoc, *Jonathan*, quo solet, ore precor.

Petr. Chr. Brünings, *Tb. St.*  
*Steinfurtenfis.*

Quid sacros celebrant Heliconia Numina cætus?  
 Cur tua, Phæbe, chelys, cur tua plectra jacent?  
 Scilicet, ingentem cupiunt possuisse Colossum,  
 Cui vero tantus quæso paratur honos?  
 Nonne tibi? Aoniæ non ultima cura catervæ?  
 BRUNINGI, ô nimium sedule. Nonne tibi?  
 Maeste ita, ne timidus renuas hæc munera Divum,  
 Quæ tibi perpetuum sunt paritura decus.  
 His actus stimulis cœptos absolve labores,  
 Numinis adsistat gratia blanda tibi.

*Hicce*  
*applaudere voluit, debuit*  
 Nicolaus Barkey,  
*Philos. & Eleg. Lit Cult.*

Immemor ipse tui cursu quod præpete tendis?  
 Quid tentas, multò Frater mage chare medullis?  
 Bellerophontes animum demittis in artes?  
 Perque tot ancipites clivos Helicone potiris?  
 Æmula sic laudum generosas pectora flammæ  
 Concipiunt: Erumpit equus tum carcere fracto,  
 Antevolantis ei, cum stillans undique membris

E 3

Sudor,

Sudor, & effatos rorantia fræna per ignes  
 Alipedis, stimulos versant sub pectore duros.  
 Fallor enim vel adhuc evoluit Cynthus orbem,  
 Quo, cui mox sua terga dabant adversa Penates,  
 Strenuus in Circo Frater spumabat eodem,  
 Cujus terga premens, eadem nunc prælia misces.  
 Sic paries labem partes dispergit in omnes  
 Fissus, & ignivomi serpunt incendia tecti.  
 Annuat ergo Tuum Tibi nunc Victoria Martem,  
 Laureaque hinc viridi miscebit Tempora frondi.

*Hæc  
 intimè dilecto Fratri  
 occinebat*

Herm. Brünings, LL. Cult.

**F**Lamma sic tandem brevibus teneri  
 Viscerum septis, & ali favillis

Nescia, & molles minuens medullas  
 Exit in auras.

Sume jam celfos animos BRUNINGI,  
 En VIRO, cujus radiant per orbem  
 Splendidæ dotes, comes es tuamque

Subjicis artem,  
 Convehant illi cumulos metalli,


Tu tibi gazas Sophiæ latentes  
 Congregas, auro magis & nitenti

Ære perennes,  
 Ergo decerpent faciles Camæna  
 Laureæ frondis spolia, ac odores.

Consuent pulchræ Charites coronam  
 Sertaque Fronti,

*Hæc  
 gratulabundus adjecit*

Petrus Wärner, Hafniens.  
 Philol. & LL. Cult.



✓


CR 599

W01P



ULB Halle  
005 594 09X  
3





DISSERTATIONIS HISTORICO-  
THEOLOGICAE,

No. 26

DE

MONIMENTO  
PANEADENSI  
PARS PRIMA,

quam

Fortunante DEO

PRAESES

THEODORUS HASAEUS,


S. T. D. & Prof. ecclesiae ad D. Virginis  
Pastor,

& Respondens

DAVID BRÜNINGS, Bremensis,

placido commilitonum examini  
subjicient

ad d. IX. Kal. Martias, qui erit dies JOVIS A. d. 1800 xxxvi.  
H. L. Q. S.



BREMAE,

Typis HERMANNI CHRISTOPHORI JANI, Illustr. Gymna-  
sii Typographi.